





1. Wernsdorff s. gottl. s. diff. examinans libros
Arndtianos de vero Christianismo,
Wittemb. 1719.
2. Gleichi s. Joh. Andr. s. trifolium Arndtiani,
num. jend 1607.
3. Wernsdorff s. gottl. s. diff. de circumcissione
Wittemb. 1711.
4. diff. de commercio Dei et
hominum Wittemb. 1712.
5. diff. de Mystica theologia, Wittemb.
1717.
6. diff. de Antinomia recentiorum
quorundam Wittemb. 1711.
7. diff. de combustione fidelium
cum Deo et inter se se, Wittemb. 1709.
8. diff. de Uscandris in pie-
tate renata, Wittemb. 1711.
9. diff. de observatione mandatorum
divinorum, contra Melodiam,
Wittembergae 1727.

- 10 Wernsdorff J. Gottl. diff. de efficacia
Errorum, Wittenb. 1766.
- 11 ——— Diff. de juramento in formulam
concordia, Wittenb. 1721.
- 12 ——— Demonstratio quod iuxta Calvini
doctrinam, reformati nec sent, nec
jure haberi possint Socij Augustanae
Confessionis, Wittenb. 1722.
- 13 ——— Diff. de analogia fidei, Wittenb. 1714.
- 14 ——— Diff. de Methodo pontificiorum con-
ciliandi pacem cum protestantibus
per viam auctoritatis, Wittenb. 1708.
- 15 ——— Diff. utrum Magistratus Christianus
satis sit suorum subditorum Christianorum
reddere hypocritas an securos et
inimicos, Wittenb. 1715.
- 16 ——— Diff. qua exutitur quaestio, utrum
forsan nonnulli Christi ante diem extremum
resurgant, Wittenb. 1711.
- 17 a Werthern J. Joh. Friedr. diff. de
gloriosa filiorum Dei libertate,
Jenae 1727.
- 18 Wibel, J. Georg. Friedr. diff. de Juvencis
Liberorum, Jenae 1739.
- 19 Weichmannscharfen J. Joh. Christoph. diff.
vindicans Meham, a Messia vaticinam
nantem a Judaeorum prophetis, Wittenb.
1711.
- 20 ——— Diff. de tabulis foederis pro-
phetis, Wittenb. 1719.



- 21 Michaeler s. Joh. Frid. diff. de tabulis
foederis posterioribus, Wittenb. 1719
- 22 Wüchmannshausen s. Joh. Frid. diff. de Aere
metallifera, Wittenb. 1722.
- 23 Wilsch s. Chr. Frid. diff. sistens abominabile
pontificatum Dogma de imper. fecta
satisfactione Jesu Christi, Lipsia 1729.
- 24 Winckler s. Joh. petri s. ym. diff. de
vaticinio Egoie. 211. f. 20. 1728.
- 25 Wolkens s. Franc. diff. de Catalogo
Civium Zionis, Wittenb. 1731
- 26 — diff. II. in proverb. 221 v. 29, Wittenb.
1728.
- 27 — de Amarth indeq. pendente
sensu, psalmi XVI. v. 3. 9, Wittenb.
1729.
- 28 — Mordechaeus illustratus,
Wittenb. 1729.
- 29 — diff. de Edero cum Abbas,
vero conjugio, Wittenb. 1729.
- 30 — diff. de turri fortissima,
Wittenb. 1730.
- 31 Wolff s. ar. Aug. s. diff. — invisibi,
cia dei, s. ponens, p. sic
1729.
- 32 Academiae Hallensis programma
in annua Lucia natalium
Christi, Halle 1741

217 15
QVOD DEVS FORTVNET!

VTRVM

MAGISTRATVI CHRISTIANO SATIVS SIT, SVOS SVBDITOS CHRISTIANOS REDDERE HYPOCRITAS, AN SECVROS, ET EPICVREOS?

MODERANTE

DN. GOTTLIEB WERNSDORFIO
S. THEOLOGIAE DOCTORE, ET PROFESSORE
PVPL. AEDIS OO. SS. T. T. PRAEPOSITO, ET SENATVS
ECCLESIASTICI ASSESSORE GRAVISSIMO,

DOMINO, PATRONO, AC STVDIORVM SVORVM
PROMOTORE, SVMMOPERE DEVENERANDO,

IN ALMA WITTENBERGENSI,

AD D. IX. NOVEMBRIS, MDCCXV.

PVBLICE DISPICIET

RESPONSVRVS - AVCTOR

ABRAHAM GEFSECK,
AVGVSTANVS.

VITTEMBERGAE

EX OFFICINA EPHRAIMI Gottlob EICHSFELDII

1733.

(13)



PROOEMIUM.



Neidebam nuper in locum quem-
dam *Isocratis*, in quo suos Athe-
nienses ob exactae Disciplinae Cu-
ram, egregie commendat: *Athe-
nienses*, inquit, *Modestiae tantam ra-
tionem habuerunt, ut Senarum Areopa-
giticum Censurae Morum praefecerint.*
Memineram illico, me aliquando
apud Doctiss. *Salmuthum* (a) non solum de Atheniensi-
bus, aliisque Graecis, Corinthiis puta, uerum etiam
de Romanis, eadem de Disciplinae accuratioris Cura
legisse; quippe qui, multis erudite in medium allatis,
randem (b) ita concludit: *Sane Censorium hunc Magistrat-
um recte institutis Rebus publicis perquam necessarium esse,
nemo probae mentis et iudicii ibi inficias. Idque Ioh. Bodin-
us satis euidenter docet Libr. VI. de Republ. cap. I. ut mi-
rum sit, nusquam eum hodie inueniri. Succurrebat porro,
quod, sicuti primitiuae Ecclesiae fuere sui Morum Cen-
sores, de quibus uideri poterunt *Dannbauerus* (c) *Cal-
uinus*, (d) *Rechenbergius*: (e) ita hodiernis quoque Eccle-
siis*

A

fiis

(a) In Notis ad Pancirolli libr. Rerum Memorab. lib. I p. m. 517.
seqq. (b) p. 529. (c) In Christeid. p. 79. (d) In Institut.
Theolog. Lib. IV. cap. XI. p. m. 247. (e) in Dissert. de Titul.
et Gradibus Ecclesiast. cap. I. titul. V.

tis haec Censoria Disciplina perquam necessaria sit. Vnde adeo multi cordati et publicae Salutis cupidi Theologi optant mecum, eadem ut commode reuocari in Ecclesiam posset. Ego autem inde occasionem sumsi de hoc argumento, ubi aliquod specimen publicae luci exponendum erat, ulterius meditandi, quumque alia ex alia cogitatio mihi subnasceretur, tandem occurrit quaestio: **VTRVM MAGISTRATVI CHRISTIANO SATIUS SIT, SVOS SVBDITOS CHRISTIANOS REDDERE HYPOCRITAS; AN SECVROS, ET EPICVREOS?** Quae quidem quaestio poterat initio uideri, acsi non multum recederet ab illa, quae iam aliquot ante lustra, a Celeberrimo Philosopho Gallo, *Petro Baelio* (a) mota, a *Tolando* nuper recocta, maximaque hactenus contentione inter Eruditos agitata est; quam etiam Celeberr. D. Buddeum Theſibus aliquot, iam sub prelo sudantibus, examinasse, ex Actis literariis nuper intellexi; illa nimirum; *Verum maius Reipublicae damnum inferat, Superstitio, an Atheismus?* In qua quidem decidenda, *Baelius* cum aſſeclis suis, ut ut paucissimis, pro *Atheismo* sententiam dixit. Verum, ut ut eam meae quodammodo affinem et analogam esse, immo ei ansam dedisse, non eam inficias, multis tamen adhuc rationibus, unam ab altera differre, Prudens Lector facile perspiciet. Nam, pauca tantum de illorum discrimine ut delibem, primo quaestio *Baeliana* respicit saltem commodum, seu *Interesse*, ut uocant, *Politicum*, adeoque *Reipublicae* tantum *in genere*, non uero ut *Christianae*, utilitatem attendit: mea uero hanc utramque combinabit, ipsiusque Christiani Magistratus conscientiae consulere studebit. Deinde *Baeliana* quaestio de
mera

(a) In suis Cogitatis super Cometa, Gallice scriptis.

mea tolerantia huius illiusve partis loquitur: mea uero Magistratum Christianum, prouti Ipse ad hanc illamue partem aliquid confert, respiciet. Tertio *Baelius* una cum asseclis, sibi fingit *Atheos uirtutibus externis, et Ciuilibus adeo conspicuos*, ut et ipsos uere Christianos saepius antecellere uideantur: mea uero quaestio per securos Christianos, qui forsan *Atheis Baelianis* similes haberi possent, tales intelligit, qui non solum ueram atque internam Virtutem non possident, sed et ne externas quidem sectantur, ac omnis probe honestatis sensum deposuerunt. Par ratio est hypocritarum, quibus ii, quos *Baelius* supersticiosos vocat, forte opponi possent. Licet enim et hi in quibusdam conuenirent, in eo tamen adhuc different, quod nihil eorum, quae directe Reipublicae atque Ecclesiae Saluti aduersantur, quod tamen *Baelius* de suis superstitionis sentit, suscipiunt. Ut adeo quarto mirum non sit, si in ipsa Sententiae decisione haud conueniamus, prouti ex suo loco dicendis clarius patefcet. Sunt igitur hae duae quaestiones quidem sibi mutuo affines, sed tamen non omnino eadem, Caeterum in hac mea deducenda ita progrediar, ut uniuersam Fractationem ad *tria Capita* reuocem, quorum *Primum* sistet terminorum Euolutionem, ac, duabus maximi momenti, quaestionibus praeliminaribus necessario insertis, status quaestionis Formationem. *Alterum* meam Sententiam exponet, rationibusque idoneis confirmabit, et iis, quae illis forsan obiici possent, pro uiribus satisfaciet. *Tertium* denique usum huius Quaestionis paucis ostendet. DEVS institutum fortunet!

CAPVT I.

Exhibens euolutionem Terminorum, et status Quaestionis Formationem.

§. I. Vocabulum quidem *Magistratus*, quum in uulgus notum sit, quid significet, & quomodo in duos distribuatur ordines, Summos scilicet seu Maiores, atque Minores, de qua diuisione uideatur *D. Buddeus*; (a) non est, ut prolixius euoluam. Modo obseruetur, de his utrisque, quicumque et quacumque demum ratione dicantur, siue Maiores, siue Minores *Magistratus*, quaestionem meam intelligendam esse, quatenus scilicet et posteriores liberi ad huc gaudent facultate, proprio arbitrio atque iudicio, ea, quae Reipublicae inseruiunt, constituendi. Licet enim quibusdam in locis Summus *Magistratus*, seu Imperans, Minores, in suo territorio hinc et inde, constitutos, *Magistratus*, legibus quibusdam ita circumscripserit, ut plane nihil, nisi quae Ipse decerneret, constituere ualeant: nonnulli tamen locorum maiori adhuc fruuntur libertate, ut Illi obseruatis quibusdam legibus, quibus obstringuntur, fundamentalibus, feudalibusue, res reliquas, prouti subditis salutare esse, arbitrantur, disponere atque ordinare possint. De his igitur utrisque mea agit quaestio.

§. II. Loquor autem de *Magistratu Christiano*. Ut enim haec, quam nunc tractandum sumsi, quaestio, *Magistratum* quoque infidelem, qui Christianis praestit, ceu in primis N. T. temporibus factum legimus, suo quodam respectu spectare possit, ad praesentia tamen magis ut respice-

(a) In Instit. Theolog. Moral. part. II. cap. III. §. XI. p. m. 798. seq.

spicerem, ratio non una suadebat. Quid uero uox *Christianus*, per se posita, sibi uelit, neminem nostrum, nisi hoc nomine plane indignum, fugere poterit; quum et prima pueris proposita rudimenta haec tradant. Hic uero intuitu Status peculiaris, eas intelligi Personas Christianas, Prudens Lector illico capiet, quae non solum in sua, quam uocant, Vocatione prima, seu officiis pure Christianis, et Christianum qua Christianum decentibus; sed et in secunda, seu suo, ex certo quodam Statu, resultante munere, adeoque officiis, ut ita dicam, mixtis, Christianum scil. in hoc statu constitutum spectantibus: Christiane, id est, ad Doctrinam Christi, sua dirigere gesta, omni conatu student, hincque sua, diuinitus illis concessa, Potestate ita utuntur, ut ea non solum externam terrenamque subditorum salutem, atque Tranquillitatem publicam procurare; sed et imprimis, Spirituali atque aeternae Ciuium suorum Felicitati, quoad per Illos licuerit, consulere, adeoque Diuini Nominis Gloriam ubique in sua Republica promouere, solliciti sint. De quibus mox plura. Vid. interim *Basilus Imperator*, (a) et *P. A. Oldenburger*. (b) Non opus alioquin duco, multis demum ut probem rationibus: Licere utique homini Christiano, salua Conscientia, Magistratus Munere fungi; quum error Haereticorum, antiquorum pariter, ac recentiorum, huius Sententiae Orthodoxae contrarius, multis iam iam satis explorsus sit, atque profligatus, adeo, ut in eo refutando si multus esse uellem, tempus et chartas frustra consumerem. Actum igitur agere hic nolo. Conferantur tamen si placet, *Hunnius*, (c) *Balduinus*, (d) ac *Systematici* omnes: *Caluinus*, (e) *Grotius*,

(a) De Imperio pie et iuste Administrando. (b) In Manual. Princip. Christ. (c) In Comment. ad Rom. p. m. 469. et ad Corinthi. p. m. 36. seq. (d) In Calibus Consc. p. 853. (e) In Institut. Theol. lib. IV. cap. XX. p. m. 304.

Grotius, (a) ac hi praecipue, qui ex professo contra Anabaptistas scripsere, quos citatos uide apud D. Olearium, (b) Colbergium, (c) D. Buddeum. (d)

§. III. Quoad uocem *Subditus*, idem opus esse haud puto, ut, quid sibi uelit, pluribus nunc exponam; quum conster, hoc nomine uenire omnes illos, in quos Imperium aliquod a Superioribus exercetur, seu, qui subdati, uel subsunt Magistratus alicuius Iurisdictioni, ad obediendum in omnibus, quae Conscientiae, atque Numinis Gloriam non repugnant; quod pariter ex S. Scripturis, ac Monumentis P. P. elucet. Omnes uero eos esse Subditos, qui in Republica uiuunt, nec tamen sunt Magistratus Ipse, iuxta D. Baierum, (e) neque adeo differentiam esse (quatenus quidem utrique spectantur ut membra Reipubl.) inter Laicos atque Clericos, quum eandem nec S. Scriptura nec pia Antiquitas agnoscat; Nostrates, immo ipsi Pontificiorum Prudentiores, luculenter demonstrarunt. Videantur ex his saltem, *Marcus Anton. de Dominis*, (f) *Monsieur Fleclieur, Eueque de Nimes*, (g) *Franciscus de Roye Antecessor Andegau.* (h) *Maimburg;* (i) ex Nostratibus, *Dambauerus* (k) *Balduinus*, (l) *D. Bud-*

- (a) De Iure Belli ac Pacis lib. I. cap. III. §. VII. seq. p. m. 36. seq.
 (b) In Synopsi Controu. Synopf. V. Disput. XV. p. 562. (c) In Hermetisch, Platonischen Christenthum part. II. p. 742. (d) In Dissert. de Concord. Relig. Christ. Statusque Ciuil. cap. VI. p. m. 215. seq. (e) In Compend. Theolog. Positiuae part. III. p. m. 1002. (f) Lib. VI. de Republ. Ecclesiast. cap. 4. (g) In suis Epist. Gallice scriptis Epistol. CCXXIII. confer. *Schau- platz der Gelehrten Welt. 1. Stück.* p. 60. (h) In Institut. Iuris Canon. Lib. III. uid. Acta Eruditor. ad A. 1682 p. 152. (i) En Histoire de Pontificat S. Gregoir le Grand. Lib. II. Epist. 62. et 65. uid. Acta Eruditor. ad A. 1687. p. 60. (k) In Christeid. p. 212. (l) l. cit. p. 882.

*D. Buddeus; (a) ex Reformatis, Caluinus, (b) ac Systematici
passim: Addantur Anonymi quidam (c)*

§. IV. Tribus uero, quod aiunt, uerbis, uox *Christia-
nus*, uoculae subditus in quaestione addita, mihi adhuc
explicanda erit. Licet enim quaestio proposita certo quo-
dam respectu, ad Iudaeos, aliosque infideles sub Magistra-
tu Christiano degentes, extendi posset, atque adeo quaeri:
*An melius sit Magistratui Christiano, Iudaeos, sua in Republ. aut
Ciuitate uiuentes, in sua συλλογαεθία sibi ipsis permittere; an
uero per media quaedam, non uiolenta quidem, sed coactiua ta-
men, ad Veram, id est, Christianam Religionem, paedagogice per-
ducere, ut, e. g. ad Conciones publicas uisitandas, prouti nonnullis
fit in locis, serio adstringerentur? Nolo tamen hanc in messem,
quae peculiari indiget opera, falcem iam immittere. Quae-
stio itaque mea uersatur saltem circa subditos Christianos,
sub Magistratu Christiano uiuentes. Intelligo autem hoc
loco, maximam partem, huiusmodi Christianos, qui non
qua rem, sed nomen tantummodo tales sunt. Alloqui
enim eiusmodi quaestione haud opus esset. Scio quidem,
ac firmiter credo, DEVM, qui suos nouit. 2. *Timoth. II. 19.*
his etiam corruptis temporibus, sibi Coetum quandam
uere Christianorum reseruasse, eumque non profus in-
uisibilem, ut temporibus Eliae erat, sed *ὡς Φωστῆρα ἐν κόσμῳ
ἐν μέσῳ γενεᾶς σκολιᾶς καὶ διεστραμμένης Φαινόμενον, Philipp. II. 15.*
Ast rari quippe boni. Nam, praeter paucissimos quosdam,
qui mala fugiunt, quid est aliud pene omnis Coetus *Christi-
nus*, quam sentina uitiorum? merito quis hodiernum cum
*Saluiano**

(a) In Institut. Theolog. Moral. part. II. cap. III. Sect. VII. §. XII.
p. m. 766. (b) L. cit. Lib. IV. cap. XI. Sect. 15. p. m. 230. (c)
Somnium Viridarii, seu libri duo Iurisdic. et Potestate Re-
gia et sacerdotali. Item Dialogus (qui Occamo tribuitur) de
Ecclesiast. et Politic. Potestate. Nec non Tract. quidam (qui
Edmundo Richerio adscribitur) de Ecclesiast. et Politic. Potest.

Saluatio (a) exclamare, atque quaerere posset. Neque tamen est, cur illi, quos ita dixi, subditi, mali scilicet Christiani, de hoc Sanctissimo nomine sibi blandiantur; quum utique hoc ipso per nomen Socratissimum rei sint, qui a Sancto nomine discrepant. Omnino enim nihil prodest nomen Sanctum habere sine moribus, quia uita a Professione discordans, abrogat Illustris rituli bonorem per indignorum actuum uilitatem. Ut eiusdem *Saluatio* (b) uerba denuo allegem. Quid uero hic agendum? Numne haec deperditae oues in sua relinquendae sunt miseria? Neutiquam; Sed qui ad illarum inde liberationem atque salutem quid conferre possunt, omnem debent mouere lapidem, quo mali e pernicie eripiantur, ac saluentur; boni uero pauci minime corrumpantur simul, sed potius praeseruentur. De Ministris quidem DEI in Ecclesia collocatis, nullum est dubium, quin Cura, hos utrosque saluandi, Illis praecipue incumbat: at de Ministris DEI, in Republica constitutis, id est, de Magistratu, forsitan quis adhuc posset ambigere: Anne nimirum et Hic Saluti subditorum etiam Spirituali prospicere debeat? Quo in argumento, quoniam nonnullae se obiciunt difficultates, eas prius, relictis interim reliquis, remoturus, ita uersabor, ut interseram iam duas quaestiones praeliminares, quibus tota res confici poterit.

§. V. Quando igitur primum quaeritur: *Num Magistratui Christiano incumbat, Spirituali etiam subditorum Saluti consulere?* Tum quidem hanc Curam Principibus quoque, aliisque Magistratibus a DEO impositam esse; non solum Machiauellistico oestro perciti quidam, sed et Pontificii, aliique, quos allegatos uide apud *Scherzerum* (c) in dubium uocare, sunt ausi. Argumenta uero, quibus Sententiae adfirmanti fides fieri potest, numero

(a) De Gubernat. DEI Lib. III. p. m. 91. (b) Vid. p. 99. (c) In System. p. m. 742. add. Olear. in Synops. p. 66. ac 562.

mero plura sunt, quam quae nunc omnia in medium afferri queant: potiora tamen adduxisse, a meo scopo alienum non erit. Dico itaque, Magistratui quoque, ut Magistratui, Curam hanc incumbere, idque probo, primo ex *Jure naturali*. *Finis enim principalis societatis humanae est, ut DEVS innorescat, (et, quod sua sponte inde sequitur, cognitus colatur.)* Iam uero *Magistratus est Custos societatis humanae, multo magis igitur Custos erit istius finis principalis.* Quippe in omni actione, proprius et principalis finis principaliter est expetendus. Et hoc est, quod dicit *DEVS Pf. LXXXII. 6.* Ego dixi, Dii estis, hoc est, diuinitus delecti, ad conseruandam ueeam Religionem, ad prohibendam et abolendam idololatriam, ad conseruationem Pacis, Coniugiorum, ad prohibendam turpitudinem. Quo inter alia argumento *B. Meisnerus (a)* contra Machiauellum uititur. Hanc uero agnitionem atque Cultum DEI, ad Salutem hominum tendere, clarum est. Probo uero secundo, ex *Ipsius Potestatis Ciuilibus sine.* Siquidem teste *Philosopho, (b)* haec debet reddere, aut constituere, homines bonos, et edere Studiosos, id est, Virtutibus praeditos. *Egregii quoque, monente Dione Cassio, (c)* Principis est, ut non modo Ipse omnia ex officio agat, sed quomodo reliqui omnes oprimi fiant, prospiciat. Quod uero non solum eae, quae Politicae uocantur, Virtutes, hic debeant attendi, sed etiam uere Morales, atque Theologicae, quae uocantur, facile cognosci poterit, si attendatur, Virtutis fundamentum unicum esse Pietatem, testante id *Cicerone. (d)* Sine hac enim actiones quaedam Ciuilitate, ut barbaramente loquar, bonae, simulacra potius Virtutis, quam uerae Virtutes sunt. Hincque *Augustinus (e)* dicit: *In hoc seruiunt Reges DEO, si in Regno*

(a) In System. Theolog. General. part I. Dilput. VI. Theorem. VIII. n. 9. (b) Lib. II. Ethic. (c) Lib. 52. (d) In Oracion. pro Cn. Planci. (e) Lib. III. ad Chryst. Epitom. fol. 240.

suo bona iubeant, mala prohibeant, non solum quae pertinent ad societatem humanam, sed et quae ad Religionem diuinam. Tertio probo ex eo, quod fatentibus Philolophis omnibus, qui saniores erant inter Gentiles, Platone inprimis: *Res publica nec sine. Numine gubernari, nec sine Religione Numinis felix esse possit.* Huc pertinet illud *Valerii Maximi: (a) Omnia post Religionem ponenda, semper Ciuitas nostra duxit.* Quo refero illud quoque Platonis: *(b) Religio inquit, est συνέλευσις πάσης κοινωρίας, καὶ νομοθεσίας ἕνεκεν.* Vinculum omnis societatis et fulcrum Legum recte faciendarum. Si itaque conseruatio societatis humanae Magistratui demandata est, illa uero absque Religione obtineri haud potest, Illius merito Cura Eidem incumbat, necesse est. Quid uero est Religio aliud, ac *cogniti Numinis Veneratio, certis legibus certisque Ceremoniis deuincta,* prouti eam descripsit *Lipsius (c)* Hæc uero si obseruantur, non solum uniuersae Reipublicae, quod forsan regeri posset, sed uniuscuiusque etiam Subditorum Saluti tum corporali, tum Spirituali erit consultum. Et si omnia, ceu ex *Valerio* percepimus, post Religionem ponenda, Romana Ciuitas duxit; Spiritualem terrestri Saluti praetulisse, merito censenda erit. Vid. *Grotius, (d) Seckendorff, (e)*

§. VI. Miror itaque *Celebr. D. Buddeum,* quod id confidenter asserere dubitarit: Imperantem, etiam ut Imperantem, aeternam quoque subditorum Salutem promouere debere: quando ita scribit: *(f) Non tantum auiem Imperans, ut Felicitas externa et tranquillitas Reipublicae constet, curare debet, sed idem etiam, saltem prouti Christianae Religionis se addictum profiteatur, obstrictus est, aeternam Ciuium suorum Salutem, ea, qua potest et debet, ratione, promouere.*

Vbi

(a) Lib. I. (b) Lib. VI. de Legibus (c) Lib. I. Politic. 3. (d) Lib. II. de Iure Belli ac Pacis cap. XX. § XLIV. n. 3. seq. p. m. 549. seq. (e) Im Fürsten Staat. part. II. cap. XI. p. 257. seq. (f) In Institut. Theol. Mor. part. XI. Sect. VII. § VIII. p. m. 801.

Vbi ex particula ista aduersatiua *saltem*, satis colligere licet, Eum hoc negotio adhuc haesitasse. Puto uero, ex supra allatis satis patere, decere Principes et Magistratus, ut tales, Curam Religionis, adeoque etiam Salutis subditorum Spiritualis; quum et Gentilibus id persuasum fuisse, audiuerimus. Immo pace tanti Viri, et ipsius uerbis subsequenter, id apodictice probare ausim. *Si enim, inquit, quilibet mortalium, ut non de sua modo, sed aliorum quoque sollicitus sit Salute, et huc ea omnia, quae in sua potestate sunt potestate, conferat, obligatus est, multo magis a Summis hoc requiri Imperantibus, existimandum, quos profecto non frustra tanta pollere auctoritate (pollent uero et Ethnici, aliique infideles,) DEVS uoluit, et qui conferre plurimum, ut Coelestis Veritatis cognitione homines imbuanur, possunt.* Haec enim non modo ratio Christianae Charitatis, ut ut ea fortius constringantur homines, sed et naturalis requirit. Nam Praeceptum de diligendo proximo sicut se ipsum, non est nouum, noui Legislatoris, ut fingunt Sociniani, Christi Praeceptum Euangelicum, sed naturale. Ex hoc tamen dicta *Celeberr. Auctoris* omnia fluunt. Lex uero naturalis omnes obligat, E. et Principes ac Magistratus Ethnicos, praesertim quum tanta, ut *Celeberr. Auctor* probe obseruat, Potestate, ex aequo sint instructi, qua hunc finem optime consequi poterunt. Praxin hodiernam Gentilium Principum hic iam silentio praeteribo.

§. VII. Accedunt sane, quod non inficior, aliae, ac magis praegnantibus rationes, quibus Principes ac Magistratus Christiani ad hoc munus obseruandum, magis obstringuntur; quum illis iniunctum sit, ut non solum Religioni qualicunq; sed Verae, id est, Christianae, suos inter subditos erigendae, conseruandaeque operam nauent. Ex hac enim unica subditi Salutem sperare possunt. Sic praeter illud, quod ex ratione Charitatis Christianae petitur argumen-

tum, haud exigui, tateor, momenti et illud est, quod ex *Grotio* (a) *Celeberr.* Auctor protulit, quando *Grotius* ait: *Neque pro se quisque tantum, sed et pro mandata sibi Potestate, Christo seruire debet.* Huc spectat quoque Reuelatio, qua quidem Gentiles, licet sua ipsorum culpa, carent, uicuius uero Principibus ac reliquis Magistratibus Christianis, aequae ac olim Hebraeis, ceu Illis, qui populo DEI praeesse debent, haec Cura peculiari ratione iniuncta est, tum expressis diuinis mandatis, ubi Custodes utriusque Tabulae constituti sunt; (b) tum exemplorum Piorum Principum, qui opus diuinum sedulo exercuerunt, egregia commendatione. Facit huc quoque denominatio, qua Magistratus Politici Nutricii, et Nutrices Ecclesiae praedicantur: (c) quae felicitas praepimis Ecclesiae N. T. concessa est. Inde non solum P. P. hoc in Magistratu Christiano requirebant, atque laudabant officium; quemadmodum id praeter citatum iam, ex alio loco Augustini (d) non tantum liquet, quando ita scribit: *Felices Principes, qui suam Potestatem ad DEI cultum dilatandum, Maiestati Eius famulam faciunt;* uerum etiam aliorum P. P. loca id aperte testantur. Sic enim *Isidorus* (e) scribit: *Saepe per Regnum terrenum, Coeleste Regnum proficit.* Et *Agapetus* alicubi ita loquitur: *Super omnia praeclara, quae Regnum habet, Cultus Diuini Corona Regem exornat.* Sed et ipsi Christiani Principes, hoc sui muneris esse, probe agnouere, ceu luculenter patet ex eis, quae *Theodosius*, ac *Valentinianus* (f) scribunt: *Decere, inquit, arbitramur nostrum Imperium, subditos nostros de Religione commonefacere: Ita enim ex pleniorum acquiri DEI, ac Saluatoris nostri Iesu Christi Benignitatem possibile esse existimamus, si quando et*
nos

(a) L. cit. Lib. II. cap. XV. §. XII. p. m. 427. (b) Deut. XVII. 18. confer Pf. XXIV. cum explicatione B. Gerhardi, LL. tom. VI. p. 576. (c) Ess. XLIX. 23. (d) de Ciuit. DEL. XXIV. (e) De Praelatione. (f) L. III. C. de SS. Trinit.

nos pro uiribus Ipsi placere studuerimus, et nostros subditos ad eam rem instituerimus. Vid. si lubet, *Augustinus*, (a) *B. Lurberus*, (b) *Balduinus*, (c) *Albrecht*, (d) *Baltasar Rbau*, (e) *D. Job. Schmid*, (f) *D. Frobnius*, (g) *aliique plures*, quos citatos uid. apud. *Olearium*. (h) *add. D. Goezius*. (i) ex Politicis, *Conringius*, (k) *Geilfus*, (l) *Goldastus*, (m) *Lipsdorfius*, (n) *aliique plures*. *Add. Buchnerus*. (o)

§. VIII. Hactenus igitur constat, Religionis Curam omnino ad Magistratum Politicum pertinere: Ast nouus nunc scrupulus emergit. Quæri nimirum secundo posset: *Quanam ratione, et quousque Magistratus Christianus, Salutem subditorum et Spirituali possit debeatque prospicere?* Triplicem uero, ut hoc scrupulo me expediam, statuo rationem, qua Magistratus Christianus Salutem suorum subditorum aeternam promouere potest, atque debet. Prima est, ut Principes seu Magistratus Christiani, de sua Ipsorum Salute sollicitos se esse, subditis fidem faciant: Ita enim, probe id notante *Plutarcho*, (p) *Princeps (Magistratus) cuncta recte gerit, si primum se componat*. Hoc uero duplici fieri potest modo, tum ratione fidei, tum ratione uitæ; si nempe et recte credere, et recte uiuere studeat. Quoad prius itaque, *Magistratus Ipse in Vera Religione a teneris, quod dicitur, unguiculis, inu-*

B 3 ritus

(a) In Pl. II. (b) Tom. I. Altenburg in Dedicat. (c) In Caf. Conscient. p. 143. seq. (d) in Hierarch. Politic. p. 668. (e) In Theol. Carechetie. p. 735. seqq. (f) In der Vorrede der Wiederlegung einer Calvinischen Käster-Schrift. (g) Im Tract. der vor den Gottes-Dienst Sorgende Regent (h) In Synopsi. p. 563 (i) Im Regenten Catechismo. (k) In Tr. de Magistr. Ciu. Auctoritate et offic. circa Sacra. (l) Exercit. Politic. II. Theorem. VII. seqq. (m) Tom. I. Constit. Imper. (n) De Monarchia part. II. cap. XIX. §. 15. (o) In Orat. Acad. part. II. Orat. XXIII. p. 719. seq. (p) In libr. de Præcept. Politic.

virtus sit, (uel si quis in Religione heterodoxa, ab incubulis institutus fuerit, ubi rationis usum atigerit, Duce ac Luce S. Spiritu, ex S. Scriptura Veram indagare, indagatamque amplecti, sedulo elaboret) *et confirmatus, ne a quouis uento flabellorum aulicorum*, (addo falsorum Prophetarum, aliorumque seductorum,) nunc huc, nunc illuc, *flectatur*, sicut belle hac de re ita differit *Baldunus (a)* Vbi enim Hi Fidei, atque Religionis uel Ipsi ignari, uel quouis uertumno inconstantiores, uel denique neque feruidi, neque frigidi, sed tepidi fuerint, hoc est, si, quae hodie proh dolor! uirtutes creditur, nullam aliam, nisi naturalem ac indifferentistam, ut uocant, Religionem agnouerint: quid, quaeso, aliud sequi poterit, quam, ut et subditi, Religionis uel omnino rudes, uel saltem incerti euadant, tandemque Indifferentismus inter ipsos longe lateque regnare incipiat? *Magistratui* namque, iuxta *Sarisburiensem*, *(b)* *populus studet esse conformis, et unusquisque libenter appetit, in quo alium cernit Illustrem*. Merito huc quoque retulerim illud *Fulgentii: (c)* *Qui sunt*, inquit, *in Seculi culmine constituti, aut plurimos secum perdunt, aut multos in uia Salutis acquirunt*. Ita enim uicissim, ubi subditi in Magistratu suo sincerum uerae fidei studium animaduertunt, non possunt non simul adduci, ut et ipsi uerae studeant fidei. Probe quidem noui, κακοζήλιαν illam, qua subditi Superiores suos, et qua Religionem, quamuis falsam, coeco impetu imitari solent; et ab ipsa S. Scriptura, et iuxta hanc, ab omnibus Orthodoxis, publicis in scriptis, ac pro concione, saepius damnari, ac quidem merito, licet interim haud omnino cauere possint, quin Principes Apostatae, uel Naturalistae, nonnullos, eorum praecipue, qui magis exemplis, quam

(a) In Casib. Conscient. 144. (b) Polierat. IV. 4. (c) In Epist. VI.

quam legibus stare, a teneris consueverint, in eandem secum trahant perniciem. Verum enim uero, omne Magnates in Religione imitandi studium, in subditis penitus improbare nollem. Non solum enim S. Scripturae monumenta, sed et historiae utriusque, tum antiquioris, tum recentioris, praesertim si tempora Reformationis beatae attendimus; quemlibet nostrum aliud edocere poterunt. Nolo quidem haec ita accipi, ac si subditi hac una de causa, quod Principes quidam, aut Magistratus Politici, hanc, illamue amplectuntur Religionem, eam et ipsi statim ueram, sibiue amplectendam reputare debeant; sed quod in eam sedulo inquirendi, eamque, ubi ex S. Scriptura ueram esse agnouerint, uel amplectendi, uel in ea, ubi iam enutriti sunt in ista, perinde constantes atque sincere, ut sui Principes, persistendi, et magis magisque proficiendi, ansam exinde sumere possint, debeantque. Si enim Principes in persecutionibus non uacillant, sed immoti persistunt, non potest non et Subditis animus crescere; Et, si illi omnes auersantur ac fugiunt errores, his quoque sinceritas Doctrinae, curae, cordique erit.

§. IX. Par ratio est uitae Christiani Magistratus. Nam et hic merito acclamandum Illi censeo illud Claudiani:
(a) Sis Pius imprimis! Vitam itaque integram atque inculpabilem, primum Ipsi agant, oportet, omnesque Virtutibus antecellere studeant, et omnibus nuncium mittant uitis atque sceleribus, ac ipsam quoque mali speciem sedulo caueant; adeoque uitam non saltem Politice, ut uocant, sed et Theologicice bonam, id est, uere Christianam uiuant, legibus et naturalibus, et diuinis, et suismet ipsis, si quas Morales ex illis conceptas tulerint, conformem. Ut ut enim nemo sit, qui illis, si Summi
 sunt

(a) Lib. IV. Coll. Hon.

sunt Imperatores, leges possit praescribere, uel eos, si quae contra leges diuinas, aut naturales, aut proprias peccauerint, punire, uideatur *Cumberlandus*; (a) non tamen ideo licentiam peccandi, sibi datam esse putare debent. Alia enim est quaestio: *An quis hominum Potestatem habeat Principibus seu Summis Imperantibus, leges ullos praescribendi, et in illos animaduertendi, ubi uel Diuinas atque naturales, uel illas, quas Ipsi tulere Morales, migrauerint?* Hoc enim merito, ex rationibus, tum S. Scripturae auctoritate, tum sana ratione suffultis, contra Monarchomachos negatur: Alia uero, si quaeritur: *Num Principes sint exleges?* Ad hanc, *D. Buddeus* (b) prolixè, et *B. Dambouerus* (c) in compendio respondet: *A Iuribus, inquit, Diuinis, naturalibus, et Iuribus Gentium, (Princeps) non est exlex, quia bis subditus. -- Dein quando Princeps figit Leges toti Reipublicae datas, tum Ipse quoque iis subest. -- e.g. Si quis prohibeat choreas, quaeritur, an sit exlex? Respondetur nequam. Tenetur enim ad seruanda interdicta, licet non ex uirtute obedientiae, tamen ex uirtute, ex qua fluxeret, scilicet uex uirtute (timoris DEI,) Christianae Charitatis et misericordiae, maxime exempli. Licet itaque eorum actiones a nullo hominum iudicari possint, iudicem tamen aliquem, Supremum scilicet agnoscant, oportet. Minores uero quod spectat Magistratus, ad eiusmodi leges obseruandas eo magis obstricti sunt, quo minus illi a ui-coactiua humana quoque excepti sunt. Quanquam et de his iam quaestio ista forsitan moueri posset, quum Superiores istorum saepius de eorum uitae ratione parum sint solliciti, et nisi Interesse, ut uocant, Politicum per ipsos periclitetur, raro in eos animaduertant. Sciant tamen oportet, et ipsos, nisi resipiscant, manere poenas diuinas, si uel maxime hu-*

manas

(a) De Legibus Natur. p. 387. (b) In Dissert. de Principe legibus hum. sed non Diuin. soluto. (c) In Theologia Casual. p. 185. seq.

manas effugiunt. Haud fucatae itaque Pietati utrique studeant, necesse est, tum DEI, tum subditorum ratione, de qua iam paulo ulterius dicendum erit. Si enim Magistratus Christiani Ipsi uitiiis uel prorsus obruti sunt, uel maiorem tamen, ac par est, peccandi licentiam sibi sumunt, suos, ad eadem perpetranda peccata, necessario quasi impellunt subditos. *Haec enim, inquit Fabius, (a) conditio Superiorum est, ut quicquid faciunt, praecipere uideantur.* Vel, ut *Lactantius (b)* eloqui amauit: *Mores ac uitia Reges imitari, genus obsequii putatur.* Et si uel maxime uitia, sub seuerissimis quoque poenarum comminationibus, suis interdixerint subditis, parum tamen, uel nihil efficient. Nam, quid uerissimum *Dionis (c)* effatum est: *Qui uident aliud Principem praeseferre, aliud agere; non minus Eius metunt, sed facta imitantur.* Et si tandem in aliis, ea, quibus Ipsi scatent, uitia grauiter puniunt; odium tamen non erga uitia, sed Ipsos erga, eis elicient poenis. Et nescio, an non certo modo hic applicari possit illud *Augustini:* *Qui ipsi mali sunt, non regnant; sed saeuunt.* Haud raro enim eiusmodi homines, ex crudeli potius quodam affectu, quam ex Virtutis amore, aut abominatione uitiorum, in personas saltem sceleratas, non ipsa uero in scelera saeuunt. Manet itaque uerissimum illud *Ciceronis: (d)* *Splendor Principum (Magistratuum) facit, ut peccare sine summo Reipubl. detrimento, ac periculo non possent.* Ac proinde merito id sibi quoque dictum esse uelint illud *Sariburiensis: (e)* *Scire debent Praelati, (Magistratus) quoad, cum ipsi delinquant, tot moribus digni sunt, quot subditos ad perditionis exempla transmittunt. Quemadmodum uero Reges uitam subditorum exemplis subuertere possunt, ita uicissim*

C eisdem

(a) Declamat. III. (b) Lib. V. cap. 6. (c) Lib. VI. (d) Verr. I. (e) Policrat. VIII. 17.

eisdem aedificare multum ualent: testante, id utrumque Isidora, (a) ac ipsius rei experientia. Si scil. ea, quam supra breuibus delineauī, uia incedunt, tum et subditi eandem lubentius calcabunt semitam. Ad rationem enim uitae exemplis erudimur, dicente Plinio. (b) Exempla uero Virtutum tanto efficaciora sunt, quanto Personae digniores; uti Thomas Aquinas, ex Hieronymo, alicubi obseruat. Rex uelut honesta, inquit Seneca, (c) nemo non eadem uolet. Vel sicut Celebrerr., Buchnerus (d) loquitur: Boni Principes tales plerumque et Ciues efficiunt. Confer. Iacobus, Rex Britan. (e) nec non Sauedra, (f) Mambrinus Rosaeus, (g) ac qui primus nominandus erat, Erasmus Roterodamus. (h)

§. X. Accedo uero nunc, pedem promouens, ad secundam rationem, qua Magistratus Christiani, subditorum Felicitati quoque Spirituali consulere possunt, atque debent. Est autem haec, muneris illis demandati, uicuius, Disciplinae externae, et Legum, imprimis Moralium, Custodes esse debent ac Vindices, sollicita Administratio. Vocatur autem Disciplina, (i) Gubernatio locomotiuae, id est, externorum gestuum, et est obedientia externo, iuxta mandata Dei, ita ne externa membra committant delicta, prohibita lege Dei. Magistratus uero (k) debet esse Custos totius legis, quoad externam disciplinam attinet. Primum igitur debet sonare uocem Legis Moralis, in genere humano, et proponere summas, et immutabiles leges, prohibentes idola, blasphemias, furra, et fraudes in contractibus et iudiciis. Secundo suas
quas-

(a) De Pralatione (b) Epist. VIII. epist. 287. (c) Thyest. II. (d) Part. III. Oration. Acad. orat. XI. p. 582. seq. (e) De officio Regis. (f) In Idea Principis Christiani. (g) In Instit. Princip. Christiani. (h) In Institut. Princip. Christ. (i) Desiniente hanc ita Catechismo Vittenberg. ex corpore Doctrinae Christianae concepto. p. 50. (k) Eodem hoc inuente Catechismo p. 35.

quasdam leges ferre potest, non pugnantes, cum Iure naturae, quae sint et probabiles ad conseruandum statum Reipublicae. Tertio sit Magistratus Executor Diuinarum, et suarum legum, in puniendis uiolatoribus. Quarto defendat obediētes contra iniurias improborum, iuxta Pauli dictum; Sit timori malo operi, et honori bono operi. Qui uero hac Disciplinae externae, Magistratui Christiano obseruatae, uel obseruandae minimum, Cura, dictus finis obtineri queat, facile est ostensu. Fieri namque duplici iterum ratione hoc posse, ex rei natura manifestum est. Si nempe Salutare Leges faciendorum, atque omittendorum, qua Mores etiam obseruandas, uel iam in Decalogo expressas, uel ab Ipso conditas, (quatenus scil. sunt determinationes circumstantiarum, non expressarum in Decalogo, neque tamen cum eodem pugnant;) serio inculcat utrasque, atque sonando, ut *Carechismus* loquitur, grauius urget partim: partim, ubi obediētes, atque bonos, paterno amore prosequitur, atque fouet, illisque, quoad par est, praemia obediētiaē soluit merita; immorigeros contra, atque malos atro notat lapillo, poenisque debitis coërcet; atque corrigit. Prius uero quam ad speciatim haec illustranda descendere, hoc in antecessum generatim moneri debet: Esse Paedagogiam hanc externam, qua Mores hominum, Ethice, ac Ciuilitate, ut dicunt, id est, per media naturalia, certas nimirum regulas atque leges, quae sana quoque dicitur ratio, morales, quodammodo emendantur, ac propositis poenis atque praemiis in suis continentur officiis, haud contemnendam. Etenim suus ei genuinus constat usus, nunc in conuertendis, nunc in conuersis. *Esse enim* (ut cum Celeberr. D. Buddeo (a) loquar,) illud demum obsequium, quod libere, non ex poenae metu, sed ex filiali spiritui fuit, Deo gratum sit, poenae tamen, (quidni et praemii?)

C 2

confi-

(a) In Institut. Theolog. Moral. part. II. cap. IV. §. III. p. m. 838. seq.



consideratio apud incredulos manuductio quaedam ad uitam meliorem esse potest, apud credentes hoc efficit, ut eo cautius incedant, et maiori diligentia a peccatis sibi caueant, securitatemque omnem ex animo eiiciant.

§. XI. Possunt haec generatim mihi obseruata, magnam iam lucem foenerari illis, quae nunc porro de unaquaque huius Disciplinae externae, Magistratui obseruandae, parte, speciatim dicenda sunt. Probandum igitur mihi primum est, Subditorum Saluti, etiam Spirituali, conducere posse, si Magistratus Christianus leges faciendorum et omittendorum iugiter inter subditos, ut *Catechismus* loquitur, sonat, atque urgente necessitate, nouas condit, utrasque uero sub grauibus poenarum comminationibus, atque praemiorum pollicitis urget. Possunt uero, omnibus, ut opinor, fatentibus, subditi a peccatis grauioribus praeseruari, ac honestatis, atque Virtutis studio incendi, ubi eiusmodi legum obseruantia stricte premitur: ut adeo eandem, antidotum quoddam uitiorum, ac stimulum Virtutis, merito quis dicere possit. Hoc ipsum autem Spirituali quoque Saluti, subditis cedere, saltem ex accidenti, potest. Etenim hominem semetipsum, ex propriis Viribus, conuertere, uel etiam obstacula remouere haud posse, Orthodoxi contra Pelagianos, ac semiPelagianos, quos dicunt, iam dudum euerunt. Interim actus paedagogici externi, hominem disponere possunt, ut intentam a S. Spiritu, per efficacem uerbi, repugnantiae remotionem uoluntati suae induci patiatur. Edocent quidem Praecones Salutis suos auditores, impios aequae ac conuersos, uiam Salutis utrosque grauitate quoque adhortantur, ut ab istiusmodi peccatis, atque sceleribus, Gratiae quippe recipiendae, aut conseruandae impedimentis, et remoris se abstineant: ast contumax, et tarda ad audiendum natura humana, quae et reuoluit, ex peccato originis iugiter

ter adhaeret, allis indiget stimulis, atque mediis, quibus coërceri atque ad auscultationem excitari possit. Accedit insuper hoc, quod mali, ut plurimum eam induerunt persuasionem, aeternas, quas Deus, in uerbo suo, illis comminatus est, poenas, adhuc multis a se distare parasangis, atque sera adhuc auerti posse poenitentia: ita in tempore de nulla facile cogitant poenitentia, ut ut quotidie semel atque iterum, a Ministris Ecclesiae ad eam uocentur. Praemia quoque uitae aeternae, quippe quae diu adhuc expectanda sint, ad mutandam uitam, adeo facile se inducere haud sinunt, aut hortationibus ideo locum relinquunt. Metus uero poenae instantis, ubi deliquerint, ac spes, praemia iuxta ac laudes ab hominibus consequendi, si honestam duxerint uitam, plures omnino alliciunt, ut uitia crassiora auersari incipiant, externaque Virtutis opera sectari, mediaque Salutis, Verbum, atque Sacramenta, meliorem ratione, quam quidem hactenus, adhibere atque admittere discant, ut ueram in illis fidem, uitamque homine Christiano dignam operari possint. Neque fideles hic prorsus excludendi. Caro quippe, mundus, atque diabolus, tres capitales eorum hostes, nunquam sane ita dormiunt, aut desistunt ab eis, quin uarias illis peccandi occasiones obiciant, atque eos ad mala irritent. Equidem hos iam nihil aliud, ac amor, et timor filialis Patris Coelestis, a peccatis auocare deberet: at enim quis ignorat, carnis, qua adhuc laborant, infirmitatem, imprimis, ubi adhuc infantes in Christo sunt, illis quendam torporem non raro inducere, ut minus, ac par est, sibi attendant, ac ab aduersariis suis se facile circumueniri patiantur. Qui tamen torpor, per leges, disciplinam externam requirentes, excuti non nunquam potest, ac solet, ut illi deinde per uires, in regeneratione acceptas, eo magis sibi ab istiusmodi peccatis caueant. Vnico exemplo ut hactenus dicta illustrem, no-

minabo hic saltem prohibitionem Duellorum, quae uocantur, quaeque Dei Gratia, plurimis iam in locis Christianis, seuerissimis sub poenis interdicta sunt. Hac, ubi a Magistratu Christiano stricte obseruatur, lege, Spirituali quoque subditorum, malorum aequae, ac bonorum, saluti multum consultum esse, pronuncio, nec ullum negaturum esse, confido. Quam multi enim improborum, periculo, absque poenitentia miseram efflandi animam, hac ratione eximantur, in propatulo est. Bonos autem ea haud minus exiguo ereptos esse discrimini, Salutem perdendi aeternam, quis non manibus palpet? Nam facile alioqui fieri posset, ut prouocati ab aliis, ac nimium laceffiti, honestae famae gratia, quam alias perdere sibi uideri possent, se ad hoc tandem abripi paterentur, ac maximo ita periculo, animam et corpus amittendi, se obiiicerent. Concludo itaque cum *Cicerone*: (a) *Magnam habet uim Reipublicae Disciplina.*

§. XII. *Principis* (Magistratus) igitur *providentia* (quod egregium monitum est *Valerii Maximi*,) *Virtutes* benigne foueantur, *uitia* seuerè uindiciuntur. Pertinet enim et haec, quam supra iam nominaui, pars, ut scilicet statuatur exempla, tum uitiorum, poenis uindicatorum, tum uirtutum, praemiis condecoratarum, ad hoc *Secundum* externae *Disciplinae* salutaris, Magistratui obseruandae, membrum. Quemadmodum enim belle dixit *Imperator*: (b) *Non illud modo bonum est, ut sint leges; sed etiam illud, ut irrogatae sint earum contemptoribus poenae;* ita contra ex rei ueritate quoque dictum est illud, quod *Cassiodorus* (c) tradit: *Non deficit rei studium, quae praemium largius habet.* Postulat uero nunc instituti ratio, ut demonstrem, exempla praemiorum iuxta atque poena-

a) Lib. IV. de fin. (b) Nouell. 161. (c) II. Epist. I.

poenarum, a Magistratu statuta, in Spirituali quoque subditorum salutem, remote scilicet atque paedagogice, promovenda, suo non destitui usu. Non longe uero petenda erit demonstratio. Nam, si minae, atque promissionis legibus subiunctae, ea sunt efficacia, ut homines in rectum quodammodo flectere ualeant tramitem, ac ita paedagogi instar, ad ueram perducere uiam salutarem, quod supra satis probatum esse confido; multo magis ipsa horum executio, suo, in hac re, salutari fructu gaudebit, iuxta Canonem Philosophicum: *Quod ei competit, cui minus competere uideretur, id quoque illi competet, cui magis competere uideretur.* Et ita omnino est. Δύο γὰρ, ut cum Plutarcho (a) loquar, ταῦτα ὡς πρὸς στοιχεῖα τῆς ἀρετῆς εἰσὶν, ἐκ τῆς τε τιμῆς, καὶ φόβου τιμωρίας. Duo haec uelut elementa Virtutis sunt, spes honoris, et metus poenae. Vti uicissim uerissimum est effatum Dionis: *Vbi metus suppliciorum, et spes praemiorum tollitur, ibi nihil boni, mala uero innumera existunt.* Hinc est, quod Vlpianus (c) scripsit: *ICros tanquam Iuris, ac Iustitiae Ministros, cupere bonos efficere homines, duabus istis rebus, praemiorum adhortatione, et metu poenarum.* (d) Si duplici itaque hac uia, subditi a malis ad bona inuitantur a Magistratu, non potest non hoc ipso aeterna quoque eorum salus quodammodo promoueri.

§. XIII. Sed ut res clarior, atque euidentior euadat, dicta hactenus, membratim nunc probabo; hincque statim me ad praemiorum adhortationem conuerto. Praemium uero, quod prius adhuc notandum arbitror, non capio pro mercede, in redhostimentum laborum, in

Virtutis

(a) De Education. pueror. p. m. 148. (b) Lib. XLI. (c) L. I. §. I. D. de Iustit. et Iur. (d) Vid. Rittershusius ad Saluianum. p. m. 92. Add. Mynsingeri Scholia ad Instit. Iustin. Lib. IV. Titul. XVIII. in praeloqu. p. m. 492.

Virtutis studium impensorum, sed pro Beneficio, ex dantis gratia profecto, eo fine, ut caeteri socii, ad bene de Virtute merendum excitentur; sicut uerba paulo murata, Celebrissimi quondam Professoris in hac incluta Academia, Dn. Röhrensee (a) sonant. Hinc, quod idem fere monet, (b) talia constituenda erunt praemia, quae sint honorifica accipienti, quinimo et utilia, (requirit enim Theophrastus (c) beneficentiam aequae, ac honorem ad hunc finem,) ita tamen, nec communi aerario nimium sint molesta. Nolo quidem iam, nec pro exiguo paginae spatio possum, prolixius uaria praemiorum genera, forsan decernendorum, aut decretorum iam, ut ut non semper actu conferantur, excutere, de quibus interim conferri poterit Bodinus. (d) Id saltem obseruo, Magistratui coallaborandum esse, ut optimi Ciues, luce dignitatis, qua, ex mente Apuleii, pessimi careant, fruantur, ira quidem, ut probi Ciues, debita prudentia, et munus aliquod rite gerendi, dexteritate haud destituti, impiis semper praeferrantur, ac muneribus, si quae conferenda sunt, publicis admoueantur. Caeterum uero in genere, Magister Christianus probos prae impiis, peculiari amore, atque patrocinio, salua tamen Iudicii Iustitia, amplectatur, atque foueat, eos quoque solos sua amicitia, impiis exclusis, dignos habeat; suoque adeo exemplo doceat, quanti Virtutem aestimet, quantum contra uitia, atque peccata detestetur. Sic fieri aliter haud poterit, quin probi magis magisque ad Virtutis studium incitentur, impii uero eo efficacius a uitis auocentur. *Virtutes* quippe, ut Differentissimus Orator, B. Buchnerus (e) pronunciat, *iisdem temporibus*

(a) In Octonar. Positio. Moral. Posit. II. (b) L. cit. positio. III. (c) Apud Stob. Serm. XLI, de Republ. p. 246. (d) Libr. VI, de Republ. cap. 4. (e) Part. III. Orat. Acad. Orat. XII. p. 859.

poribus facillime gignuntur, quibus optime aestimantur. Vel, si iam in bonis, piisque enatae sint, atque uigeant, tum illud *Cassiodori* (a) locum habebit? *Nutriunt praemiorum exempla Virtutes.* Sive uero iam illis Virtutis studium demum in subditis quibusdam producat, siue inter paucos iam bonos largius alatur, perinde erit. Vtroque enim modo Salus quaedam subditis, piis aequae, ac impiis inde accedet. *Virtutis equidem fructum,* (quod *Macrobio,* (b) ita differenti, lubens meritoque concedo,) *Sapiens in Conscientia ponit, minus perfectus in Gloria,* (in praemiis.) Ast primo, longe aliter mali, qui demum ad Virtutis amorem prouocari debent, tractandi sunt, quam Sapientes. Deinde, et infirmitati ipsorum Bonorum, qui adhuc minus perfecti sunt, aut uel ad summum perfectionis apicem nunquam ascendent, aliquid condonandum erit. Praeconum uero Salutis postmodum opus hoc erit, ut utrisque, pro suo animae statu, ex uerbo diuino, credendorum, ac agendorum unica norma, ulterius consulant; excitatos a uiciorum sopore, et ad exteriorem quandam honestatem adductus, ab externis ad interna perducant, atque ad ueram, DEOque placentem Virtutem excitent, ac denique eos, iuxta et probos, proposita, quae tantopere a Christo commendatur, abnegatione sui ipsius, ad praemia, in coelis reposita, expectanda, ablegent.

§. XIV. Et si uero, ut in uiam redeam, *Magistratui,* monente *Isocrate,* magis spectandum sit, quomodo *Ciues adducantur,* ne quid poena dignum admittant, (quod, qua ratione commode fieri possit, partim iam ostensum est, partim in tertia huius quaestionis parte, uberiori monstrabitur;) quam quomodo *immodesti puniantur.*

D

Quum

(a) Epistol. II. 6. (b) Saturnal. II.

Quum tamen a DEO gladium acceperint, illum omnino in uitia, aut homines iisdem obnoxios, stringere debent ut ut illud haud faciant cum delectatione, quod Tyrannorum est. Potius ad castigandum accedunt inuiti, non absimiles Medicis, qui summa id efflagitante necessitate, aliquando urere, atque secare solent, ne pars sincera trahatur. Sunt enim hominum nonnulli adeo durae ceruicis, ut nec promissis, neque minis, quinimo nec maximis, quae Virtutum studiosis exhibentur praemiis, nisi *ulsiōne corrigi*, ut *Boëtius (a)* loquitur; ac suppliciorum, a quibusdam sumtorum, terrore, a sua peruersa uia auocari queant. Immo quidam adeo sunt dementes, ut nec aliorum periculo sapere discant, nisi ipsi poenis afficiantur. Et quis negaret, fieri posse, ut ex bonis quoque, non infirmioribus tantum, sed et robustioribus, a sua ipsius carne, mundo, atque diabolo, tentatis, quidam, nimia Magistratus indulgentia, deprauari aliquando possint? *Vbi enim, ut uerbis Locratis utar, nulla seuera iudicia exercentur, ibi etiam bona ingenio corrumpuntur.* Exercenda igitur Magistratui sunt poenarum quoque, ac suppliciorum iudicia, partim ob DEI mandatum, quo non frustra gladium gerere, sed Minister Dei in uindictam malorum dicitur: *(b)* partim ob externam Reipubl. et singulorum quoque in ea uiuentium, salutem, quo Politica societas conseruetur, atque tranquilla sit, et uniuscuiusque securitati, atque Felicitati consulatur; quae profecto consistere nequit, nisi caedes, furta, adulteria, et quotquot scelerum nomine ueniunt facta, grauissime compefcantur. Tandem uero, quod fusius hic a me prosequendum est, ob Spiritualem hominum, aut subditorum Salutem, quam ita, uel indirecte, Magistratus Christianus eis promouere potest. Huc, ut puto, tendit duplex

(a) Libr. IV. de Consolation. Philosoph. pr. 4. (b) Rom. XIII. 4.

plex ille, quem Magistratus in irrogandis poenis, nemine contradicente, ob oculos tradet, finis, dum scilicet. notante Placcio, (a) poenis publicis, uel emendatio delinquentis, uel poena in exemplum abitura quaeritur. Sunt enim τιμωγῆσαι, uti uidere est apud Gellium, (b) ὑπερβολῆς καὶ παραδειγματῶν. Alortationes, aut praecepta de moribus emendandis, et exempla; ne scilicet (quae explicatio est Celeberr. D. Buddei, (c) alii simile quid faciant, et pariantur Est itaque uirtus poenarum publicarum, (1.) ἐπινοηθῶν, seu emendatrix, respectu delinquentium, quibus ipsis poenae infliguntur, quae adeo, obseruante Grotio, (d) Philosophis modo ὑπερβολῆς, modo κόλασις, modo παραδειγματῶν, dicuntur; Paulo Icto uero σωφροσύνης ἐνεκα institutae laudantur. (2.) Est παραδειγματική, seu exemplaris, partim malorum intuitu, qui, licet eadem nondum perpetrarint, ipsi quoque tamen procliues sunt ad peccandum, ut Iustiniano (e) loqui placuit; partim ratione piorum, qui et ipsi, ubi spes impunitatis esset, se quoque forte nonnunquam, a carne sua, ad peccata eiusmodi abripi paterentur. Hi poenarum effectus duo, ut ut simul stare possint, soleantque, distinctim tamen, quo asserto meo sua eo melius constet ueritas, paulo uberius explicandi erunt.

§. XV. Quod itaque concernit poenas, quatenus emendatio esse debent delinquentium, sane Magistratus, debitas ubi inflixerit, subditorum eiusmodi delinquentium Saluti Spirituali, (temporalem enim, quam et

D 2

ipsum

(a) Ad Institut. Libr. IV. Titul. XVIII. p. m. 651. (b) Noctium Attic. Libr. VI. cap. XIV. p. m. 215. seq. (c) In Institut. Theol. Moral. part. II. cap. IV. §. IX. p. m. 844. (d) De Iure Belli ac Pacis Libr. II. cap. XX. §. VII. n. I. p. m. 502. (e) L. XXXI. bona fide in fine pr. D. deposit. l. ultim. C. de Episcop. et Cler.

ipsam aliquando sic promoueri constat, non moror,) consulere poterit. *Est enim, dicente Simplicio Epicureo, (a) poena medicina improbitatis. Vel, ut Plutarchus loqui amauit: Ιατρικία ψυχῆς. Medicatrix animi. Quae, explicante Grogio, (b) hoc agit, ut eum, qui peccauit, reddat meliorem, medendi modo, qui est per contraria. Hinc Plato in Protagora, hanc puniendi rationem appellat ἐνθύμη, idest, directionem quandam, ut sit ueluti reductrix quaedam in iustum iter, eius, qui a uia aberrauit. (c) Reuocant enim, ut cum Christiano denique Doctore, B. Chytraeo, (d) Christiane de hoc negotio loquar, hae poenae homines (uel saltem ex intentione DEI reuocare possunt, deberentue,) ad poenitentiam. Vult enim homines puniri DEVS, non ut in aeternum pereunt, sed ut poenis de suo peccato admoniti, agant poenitentiam, et ad DEVM conuertantur. Dat enim, ipso DEO hoc testante, (e) Vexatio, (uti publica, sic et priuata) intellectum auditui. Vltimum, inquit Celeberr. D. Fechtius, (f) hoc perpetuo fuit et extremum, infringendae, domandaeque extremae hominum malitiae, DEI remedium, ut, si nullis blanditiis, nullis promissionibus, nullis praemiis, in officio contineri poterant, corpore, facultatibus, exiliis, infamia (correpti, quod omissum uideretur,) ad meliorem uitam adduceverunt. Ut uero Deus in poenis publicis, per extraordinarios suos ministros, exequendis, hunc semper habuit scopum, ut homines eis ad poenitentiam reuocaret, ita in poenis priuatis, per ordinarios suos ministros, impertiendis, eundem respicere finem, uero similis est. Sicut autem DEVS ipse, in poenis publicis, ob plurimorum incorrigibilem malitiam, atque obduratio-*

(a) C. XIII. (b) L. cit. (c) Ex annotatis Petri Mosellani ad Gellium, p. m. 255. (d) In Regulis Vitae. p. m. 206. (e) Esaiac. XXVIII. 19. (f) In Tract. de Excommunic. p. 283.

nem malitiosam, suo, haud raro excidit sine, eatenus, ut non omnes conuertantur; sic mirum esse haud poterit, si et Magistratus, hoc, quem intendunt, sine a nonnullis pertinacibus defraudantur. Sufficit uero illis fecisse, quae sui erant muneris. Vid. *D. Franzius, (a) et Auctor Variarum Quaestionum. (b)*

§. XVI. Sunt equidem, quod facile negari haud poterit, una, alteraue poenarum publicarum, quales iam hodie exercentur, non capitalium aequae ac capitalium, secundi scilicet ordinis, ita comparatae, ut emendationi hominum Spirituali magis obesse, quam prodesse uideantur. Huc, ut rem exemplis illustrem, (1) referendas esse censeo proscriptiones, uel relegationes, quae hodie quidem obtinent. Eae enim primo, quod silentio praeterire haud possum, in legibus Mosaicis nullibi imperatae leguntur. Exilium enim, quod *Sigonius, (c)* inter poenas a Mose constitutas, recenset, nihil quicquam cum illis habet commune. Deinde, ne quidem cum relegationibus, Romanis quondam usitatis, componi aut contendi queunt. Nam apud eos, Ciues degeneres, uel ad metalla, uel ad triremes condemnabantur, uel in insulam quandam deportabantur, ubi uix aliquam laedendi alios, aut scelera maiora perpetrandi, occasionem amplius inueniebant. Apud nos uero passim relegati, imprimis si aliqua corporis mutilatio, aut nota accesserit, ex solo, ubi facinus commissum est, eiiciuntur, et tanquam uagabundi erronei ubique oberrant; ex quibus alii in latrones, prostibula, et nescio quales euadunt, alii ad *euuoraglav*, sese a Diabolo facile induci patiuntur.

(a) Disput. XI. ex Deut. Thesi. II. seq. (b) Cent. I. quaest. XI. (c) De Republica Hebraeor. Libr. VI. cap. VIII. p. m. 330.

alii (quod aliquoties factum noui,) desperantes nempe de sua alicubi inuenienda uel sustentatione, uel fama, atque existimatione, quam amiserunt, recuperanda. Vnde haud dubie factum est, quod in quibusdam nunc urbibus atque Rebus publicis, bene constitutis, ergastula instituantur, in quae eiusmodi homines coniciuntur, et ad labores, Reipublicae utiles, adiguntur. Qui, ut ubique introducatur mos, ualde optandum est. Accedit enim et hoc, quod non nisi in suppliciis capitalibus, κατ' ἐξωχὴν ita dictis, Ministri Ecclesiae aduocantur, ut homines istos sceleratos ad poenitentiam adhortentur, quum tamen et his aequae, si non multo magis, quam illis opus essent. Vtique hinc optandum esset, ut hae poenae, in alias, quae Salus eiusmodi peccatorum aeterna, commodius, si non semper, obtineri, uel saltem semper quaeri possent, mutarentur. (2.) De poenis pecuniariis, seu multis, ut dicunt, pauca quoque monenda erunt. Licet enim, eas protinus improbandas esse, nemo facile dixerit; magna tamen circa illas cautione opus erit, si finem, qui in poenis quoque his quaerendus est, Magistratus uelit attingere. Vti enim primo uerissimum est illud *Arnobii*: (a) *Crescit multitudo peccantium, cum redimendi peccati spes datur*; ita sane, hoc ne sequatur ex eis, studio praecauere debent, imprimis, si delicta grauiora fuerint, quam ut poenae eiusmodi ullam cum eis proportionem habeant, et quibus, Ipso DEO dictitante, excidium deberetur. Secundo; ubi etiam licite possunt exerceri, uideant tamen oportet Magistratus, ne adeo lateant, neue omni adeo coercitione corporis, uel nota infamiae, pro rerum circumstantiis addenda, careant; non saltem ut poena in exemplum abire possit, de quo deinceps, sed ut ipsi

(a) Libr. VIII. Ep. VIII.

quoque delinquentes ad se redeant, qui alioqui, imprimis, ubi ditiores sunt, poenas illas insuper habent, neque de agenda poenitentia sollicitudinem, uel leuissimam, mente concipiunt; sed potius peccata cumulant peccatis, suis confisi diuitiis, quibus supplicia, aut poenas redimere facile possent. Quid, quod ita Ministris Ecclesiae, dum res clam geritur, nulla pateat uia, aut occasio detur, homines illos ad poenitentiam adhortandi. Etsi enim iisdem forsitan ex fama quadam, de commissio peccato quid innotuit, non tamen, quae seculi labes est, audent illos de eodem monere, et ad poenitentiam speciatim adigere, quum nunc ad Actiones, quas uocant, Iniuriarum, si probatio sufficiens deest, plurimi statim progrediantur. Vbi uero palam innotescerent tales poenae, multos adhuc lucrificandi ansam nanciscerentur, et illi ipsi quoque mulati, si corporis etiam, uel famae noxam quandam sentirent, eo magis in posterum sibi ab eisdem cauere uitium, ac Virtutum, conuersi si fuerint, studio indefesso, maculam famae suae innstam delere, anniterentur.

§. XVII. Sunt uero quaedam delicta, (1.) quae in Ipsum DEVM, u. g. Blasphemia, Magia etc. directe committuntur. (2.) Quae directe contra humanam naturam pugnant, ut Sodomia etc. (3.) Quae humanam societatem euertunt, ut latrocinia, uoluntaria homicidia, etc. sicut ea ita diuidit *B. Bechmannus*. (a) Quae omnia per se, et sua natura, capitalia sunt; ubi Magistratui non solum licet, poenas capitales infligere, sed et in Conscientia sua ad hoc obligatus est. De his itaque pauca quoque dicenda erunt. Quaerere scil. quis possit: Num et hae, capitales nempe poenae, quae naturalem, ac proprie ita dictam mortem inferunt, ad emendationem delinquentium faciant,

(a) In Theologia Polemica. p. m. 140.

faciant, adeoque a Magistratu Christiano, ceu finis quoque, quo delinquentium subditorum Salus quoque aeterna aliqua ratione promoueri possit, attendi queat? *Grozium* si hac de re audire lubet, is (a) de illa hanc in modum uerba facit: *Hoc* (scil. emendatorium, ut ita dicam) *puniendi genus, ad mortem pertingere non potest, nisi eo modo, quem reductiuum uocant, quo negationes reducuntur ad rerum oppositarum genero.* Hoc est, ut in sequentibus ulterius exponit, ut minus mali sint, minoremque adeo poenarum gradum subire habeant. Ast miserum profecto hoc esset solatium maleficis, capite plectendis. Sane sunt quidam scelerati, quibus, (ut cum *Grozio* (b) loquar,) merito dici possit illud *Senecae: Quod unum bonum tibi superest, repraesentabimus mortem.* Verum non eo solum sensu, quo *Grozius*, si priora attendas uerba, accepit, sed eo ipso etiam, quo illis maius adhuc accersit ex eo commodum. Sunt enim quidam extreme mali, qui per consuetudinem delinquendi, malitiamque semel iterumque, ac saepius repetitam, habitum sibi aliquem contraxere, qui, ut fert natura et habitus, et consuetudinis, quam alteram dicunt naturam, difficulter mobilis est. Hi quidem, etsi, quod uix alioquin fieret, emendantur, non tamen ita semper alteram exuere naturam possunt, ut non in peccata, antea commissa, relapsus metuendus sit. Atque ita praestat omnino, eos e uita, cuius fecere iacturam, tollere, quam a morte, quam commeriti sunt, absolueret. Qua ratione, dum omnis ad uomitum redeundi occasio ipsis praescinditur, ingens utique bonum Spirituale, quod nemo negauerit, accipiunt. Nonnullos etiam,

(a) De Iure Belli ac Pacis Lib. II. cap. XX. §. VII. n. 3. p. m. 504.
 (b) l. cit.

etiam, qui ejusmodi scelera capitalia perpetrarunt, angoribus atque terroribus Conscientiae ita angi constat, ut instigante Diabolo, nisi a Magistratu e uita tollerentur, facile sibi ipsis manus inferrent impias. Hoc uero, dum Magistratus, uindictae diuinae Minister legitimus, per supplicia impedit, maximo eripiuntur periculo. Taceo occasionem illos consequi, eandemque optimam, ad mortem sese beatam digne praeparandi, quam securi alioquin, si impuniti manerent, nunquam uel quaesuisissent, uel acceptassent.

§. XVIII. Sic igitur ratione non una ostensum est hactenus, poenas emendare illos, quibus infliguntur. Restat nunc, ut declarem, non paucos quoque meliores fieri consideratione poenarum, aut suppliciorum, quibus alii propter scelera afficiuntur. Sunt uero, quod supra iam professus sum, homines, quibus haec poenarum *παγαδέρυα* conducere possunt, alii mali, alii boni. Illos quod attinet, potest Magistratus Christianus exemplis poenarum, ab aliis sumtarum, eorum Spirituali quoque commodo multum prospicere, imprimis, si iisdem fere obnoxii sunt sceleribus. *Malorum quippe supplicia*, iuxta effarum *Plutarchi*, hoc demonstrant: *Iustitiae, ratione pergentis, opus esse, aliis puniendis alios coërcere. Metu enim ultionis, omnis iniquitas refrenatur*, teste *Tertulliano*. (a) Et sicut, iuxta *Vegeticum*, (b) *incitantur* alioquin a paucis, qui uitiorum, scelerumque impunitate sperant peccare cum pluri-
mis; ita contra etiam deterrentur metu poenarum seueriorum, speciatim, quae ad rigorem legis requiruntur, ne similia perpetrent, neque similia dein perpeti, opus habeant; ut adeo maiori diligentia sibi ab eis caueant. Et ita huc quoque referre poterit illud *Ambrosii*: (c) *Dum*
E
unus

(a) Aduersus Marcion. IV. (b) De Re. Militar. L. III. 3. (c) Quod ad Pl. CXVIII. commentatur.

unus (alterue) punitur, plurimi corriguntur. Quae correctio non saltem ad Virtutes ciuiles, quibus hominem, ciuilater bonum, praeditum esse oportet, restringenda erit, sed ita accipienda, ut ad interna quoque, certo modo, se diffundat. Quamuis enim hic, poenarum exemplis incussus, metus correctionem, seu conuersionem malorum, per se, nequaquam operari possit, siquidem id proprium manet Verbi Diuini; paedagogice tamen malos ad eam inuitare, atque perducere poterit, ut his, scilicet temporalibus, poenis; de aeternis admoniti, iisque perterriti, pectus percutere incipiant, Verbum DEI, quod pro efficacia, qua gaudet, motus excitat bonos, admittant, et S. Spiritui per uerbum pulsanti, per affectatam magis magisque malitiam haud resistent. *Iustino* quidem *metus* dicitur *infidelis recti Magister*. Et *Chrysostomus*, (a) qui locus forsitan hic mihi obuerti posset, ita commentatur: ὁ ὑπὸ τῆς ἰσχυρῆς γνώμης καλὸς, ἐκ ἑσῶι ποτὲ καλὸς. διὰ τῆς ἀνάγκης ἀπαλλαγῆς ἐπαυήξει πάγι, i. e. qui sub uinculo (seu necessitate) fuerit bonus, nunquam bonus erit: sed necessitate liberatus, rursus ad ingenium redibit. Nam (quae additio est *Celeberrimi Rittershusii*, (b) *Necessitate qui bonus est, non est bonus*. Et enim *Virtus est in τῇ προαιρέσει*. Ast haec meam nondum subuertunt assertionem. Nam primo hic non est quaestio: Vtrum, qui suppliciorum metu tantum bonus est, bonus sit Theologicè, id enim facile nemo asseret: Sed haec est quaestio: Vtrum quis, suppliciorum metu adductus, ad pietatis studium praeparari quasi, aut adduci queat. Haec uero fieri posse, atque debere, non est, cur amplius probeam, quum affatim iam haecenus a me probatum esse, confidam. Deinde, licet non illico ad poenitentiam eum se flectere sinant, discunt tamen cautius mercari, et grauiora, quae

(a) In Comment. ad Matth. XVII. (b) In Notis ad Saluianum p. m. 219.

quae forsitan committerent, scelera cuitare, ne peccatis penitus submergantur. Quod, si etiam posthaec, per Dei Gratiam, tandem conuertantur, in emendatione uitae, eo facilius progredi poterunt, et dum externos iam affectuum pruritus hac ratione compefcere didicerint, ad interna statim, ac cordis latibula, commodius attendere, ualebunt. Coeteras quod concernit poenas, non capitales scil. quae infamiam, ex mente *Imperatoris* (a) irrogant, cum damno pecuniario, uel corporis etiam coërcitione; eae quidem, neque id diffiteor, et ad hunc finem non tam apprime collimare uidentur, praecipue, si iuxta eam, qua plerumque nos inter uigent, rationem spectantur. Non tamen penitus ad hunc finem obrinendum, ineptae plane erunt, et inutiles, ubi primo quidam uiderent, poenis pecuniariis, quasdam, obseruatis tamen rerum circumstantiis, corporis quoque coërcitiones addi; quum alioqui multam sibi irrogatam, parum curarent, praecipue, si bonis abundant; magis sibi attenderent, eo quod incolumitatem corporis magis depereant, quam opes. Secundo, si non adeo clanculum irrogarentur eiusmodi poenae non capitales, sed fierent in publico. *Animaduersiones enim, inquit Seneca, (b) quo notiores sunt, plus ad exemplum emendationemque proficiunt.*

§. XIX. Sed pergendum est, et pauca quoque de secundo adhuc hominum genere, quibus haec poenarum exempla ad Spiritualem quoque Salutem inferuire posse, supra innui, Bonis nimirum, dicenda sunt. Intelligo autem Bonos non Moraliter saltem, sed et Theologie tales, pios scil. ac fideles Christianos. Neminem enim nostrum fugere poterit, quam multis infirmitatibus fideles quoque, in hoc mundo adhuc cingantur, et obnoxii sint, adeo, ut, si non se-

(a) Videatur Placcius ad Instit. I. cit. (b) L. II. de Ira, cap. 19.

dulo, ac iugiter se explorent, facile in graviora prolabi uia queant, quod exempla Sanctorum, Davidis, aliorumque, satis probare possunt. Hoc uero imprimis fit per praua exempla. *Haec enim, dicente Sapiente, (a) alicui bonum perdunt.* Sollcitantur sane a Diabolo, qui in hoc casu, maxime sedulum, atque industrium se praestat, pii, ut suis cupiditatibus liberius quandoque indulgeant, tandem ad peccata mortalia deducturis, si scelera maneant impunita. *Licentia quippe plerumque tentatio est Disciplinae; ut Tertullianus (b) uerissime dixit. Frequentem uero recognitionem (quae poenis comitatis debitis, magis aduertitue,) nec impunitatis spem, nec peccandi locum praebere, Columella (c) testatur.* Huc itaque referendum reor octauum, quem *Chytraeus (d) inter reliquos poenarum fines recenset, nimirum: Ne malis exemplis sceleratorum, alii saniores depraentur.* Obuerti quidem mihi posse, praeuideo, illud *Ambrosii: Iustus non terrore poenae reuocatur a culpa, sed regula honestatis.* Verum enim uero, *facilior utique cautio est, testante id Cypriano, ubi manifesta formido est.* Metum quidem seruilem, ex puro poenarum terrore ortum, hic non intelligo; hoc enim iustus, qua iustus, non laborat, sed illum saltem, quo fideles his exemplis excitari, insidias diaboli, quas hominibus struere solet, et fraudes, quibus eos circumuenit; magis magisque intelligere, metuere, ac tanto sollicitius cauere, adeoque cum tremore atque timore salutem suam operari discant. *Vbi enim admonitio est, (realis uero uerbali semper efficacior esse solet,) uigilantia cautionis euadit, ut ait Macrobius. (e) Deinde fieri non potest, quousque homo humanitatem non exuerit, quin luctae carnis, ac*
Spiri-

(a) Cap. IV. 6. (b) In Exhortation. ad Castitat. (c) Libr. XI. l. (d) L. cit. (e) L. I. Somn. 7.

Spiritus, lucta rationis, atque appetitus sensitivi sese immisceat, et tentatus ad hoc, illudue uitium, quod poenam attrahere potest, huius recordatione, a peccando non abstrahatur, ut ut in hoc uno subsistere non debet, sed ad sublimiorem causam respicere, quae eum a consensu in malum etiam fortius auocabit, amorem scilicet atque beneficia DEI sibi exhibita. Subiicio denique huic argumento, uerba Doctissimi Placcii, (a) qui ita scribit: *Quandoquidem ob consuetudinem alligandi nos sensualibus rebus, non tantopere solis intellectualibus uacamus, etiam hac in parte Deus nostrae imbecillitati sese accommodans, solet aut Parentes, aut Praeceptores, aut Magistratus, aut leges, librosue, uel alia, nos officii nostri monentia, sensuum obiecta, neque cogitantibus, neque desiderantibus obiicere. Ut adeo ueritas maneat inconcussa, Deum, (quod Auctor dictis iam praemisit,) omnibus, singulisque nobis ea praebere incitamenta, et adminicula, ad uitam nostram corrigendam, quae, nisi negligamus, inexcusabili plene incuria, uel aspernemur malitia extrema, sine dubio ad ulteriorem perfectionem, per eadem deducamur.*

§. XX. Hactenus de prima et secunda parte Curae, a Magistratu Christiano, pro Salute subditorum Spirituali impendendae, tanquam mediis remotioribus, actum est. Iam ad tertiam partem, et medium, huic fini, magis accommodatum, ipsam nempe Curam Religionis, tandem peruenio. *Hac quippe, quum ipsa uita constet, perhibente Plinio, (b) quod nemo, puto, sanus in dubium uocabit; eo magis quoque Cura eius Magistratui Christiano incumbet. Quia uero id iam quaestione I. satis, superque demonstratum est, otiosum esset, dicta repetere.*

E 3

(a) In Typo accession. Moralium part. V. de Therapeut. cap. II. p. m. 144. (b) Lib. XIV. Hist. Nat. 29.

tere. Hoc saltem explanandum adhuc restat, (1.) *quousque Christiano Magistratui Cura Religionis incumbat*, ac, (2.) *quod ex priori fluit, quomodo ea Salutem subditorum Spiritualem promouere ualeat*. Est uero, quod primum spectat, Cura Religionis duplex potissimum, *interna* alia, quae ipsam Religionis substantiam tangit, consistens in ordinatione et administratione mediorum, Salutem aeternam producentium: alia *externa*, quae Religionis tantum circumstantias, puta personas, locum, tempus, modum administrandi, coeteraque adminicula externa tangit. Iam quaenam harum Magistratum deceat, opus non erit quaerere. In confesso enim est apud omnes Protestantas, (quod contra Pontificiorum calumnias noto,) ad priorem, quam *internam* dixi, Curam non pertinere officium Magistratus Christiani, quod *B. Scherzerus* (a) pluribus ostendit. *Externa* ergo solum ei relinquatur Cura, quae circa has quidem ipsas essentiales partes, ea tamen ratione tantum uersatur, quatenus externa aliqua opus habent directione. Videantur praeter Auctores supra laudatos, *B. Zieglerus*, (b) Celeberr. ac summe Venerand. *Dn. Sal. Ernest. Cyprianus*, (c) *Hauemannus*. (d) imprimis *B. Röhrensee*. (e) Summatim uero hanc Magistratus Curam describit *B. Balduinus*, (f) quum ait: *Hanc Religionem ueram* (qua Principem, seu Magistratum Christianum ipsum primum imbutum esse debere, dixerat,) *inter subditos ad posteritatem propagare studeat: ideo idoneos Ecclesiae Doctores praeficiat, Scholas utiles erigat, ac*

con-

(a) In System. p. 741. (b) In aureo suo libro de Iuribus Maiestaticis (c) In dissertatione de officio Principis circa Felicit. subditorum aeternam (d) De iure Episcopali (e) In disertat. A. 1693. habit. De Cura Religionis (f) In Casibus Conscient. Lib. II. cap. VI. Casu II. p. 144. b.

conseruet, ex quibus tanquam ex Troiano equo, Viri in Ecclesia (addo, et Republica) utiles prodeant; Docentes in Ecclesia, et Scholis, honeste sustentet, ne famem Ministrorum, ipsius Verbi Diuini fames sequatur. Visitaciones Ecclesiarum, (Scholarumque,) instituat, Consistoria erigat, Synodos conuocet, quibus adminiculis diligens, et necessaria Ecclesiarum inspectio conseruari potest: Collopsa Cultus Diuini exercitia instauet, idolatricum cultum aboleat, haereticos, (quid ni et impios, Ecclesiam turbantes!) coërceat, (ac ita ueram Pietatem, ac piam Veritatem ubique promouere studeat.) Quibus omnibus Ecclesiam in tranquillum statum locare potest, qui praecipuus officii sui finis est, teste Paulo 1. Timoth. II. 2. etc. Ex his uero sua iam sponte, quod secundum est, patet, in genere quidem, quomodo subditorum Salutem spiritualem promouere ualeat. Vbi enim Verbum Dei, curante id Magistratu Christiano, large, atque sincere praedicatur, et docetur, in Scholis pariter, ac in Ecclesiis; non solum rudes uera Dei cognitione, fideque in Christum salutari imbuuntur, uerum etiam elementorum Doctrinae Christianae iam gnari, ad maiorem rerum diuinarum notitiam, ac *παρρησίαν* fidei perducuntur, ita, ut magis magisque in salutari Veritate crescere, ac omnibus Christianis Virtutibus proficere queant. Quod idem per legitimam, prouidente Magistratu, Sacramentorum dispensationem fieri, palam est. Quantum uero utilitatis subditis accedat, quando in his quoque, ut in reliquis Cultus Diuini partibus, certus ordo, atque *εὐσημοσύνη* a Magistratu praescribitur, nemo non, nisi sit Fanaticus, qui meram ab omnibus humanis, ut uocat, legibus, solutam libertatem crepat, facile capiet. Illam denique Curam, quae Magistratui Christiano impendenda est, in remouendis Fidei, atque Pietatis impedimentis, et adminiculis uicissim surrogandis,

dis, non leuioris esse momenti ad Salutem subditorum promouendam, uel me tacente, quiuis intelliget.

§. XXI. Inter alias uero Curae partes, qua Magistratus Christianus in Religionem incumbere debet, iusta quoque Disciplinae Ecclesiasticae Administratio referri solet. Quae ipsa, quoniam Pietati, apud subditos promouendae, plurimum conducit, sollicitus de illa adhuc dispiciam, sic quidem, ut exponam, (1.) in quonam Disciplina haecce consistat: (2.) quatenus officium Magistratus Christiani circa eam uersetur: et (3.) denique, quomodo per eam Saluti subditorum Spirituali consulatur. Quod (1.) itaque, ad rationem formalem, ut cum Philosophis loquar, huius Disciplinae attinet, duo potissimum capita sunt, quibus Disciplina Ecclesiastica absoluitur. Vnum occupatur circa leges, praescribentes, partim quasdam obseruantias Ecclesiasticas, u. g. Stationes, seu ieiunia publica, solennes supplicationes, uigilias, aliasque humilitatis, poenitentiae, atque Fidei exercitia; de quibus conferri poterunt, *Albaspinaeus*, (a) *Pamelius*, (b) *Iob. Bapt. Casalius*, (c) *Ioachim. Hildebrand*, (d) *Pfammerus*, (e) nec non *Cauens*, (f) aliique: partim mores, ac uitam, extra conuentus sacros gerendam, de quibus innumeri Conciliorum Canones exstant. Vid. *Bartholom. Caranza*, (g) *Edmundus Richerius*, (h) ac alii, qui de Conciliis scripsere, imprimis autem *Gratianus*. (i) Alterum Disciplinae Ecclesiasticae caput, est modus procedendi cum peccatoribus publicis, uel

(a) De Veter. Eccles. Ritibus, nec non in Obseruat. Ecclesiast. (b) In Cyprianum. (c) De Ver. Sacr. Christian. (d) De Sacris Veter. item in Rituali Orantium, ac pluribus aliis huc spectantibus opusculis (e) In Obseruation. Ecclesiast. part. II. (f) *III ersten Christenthum* part. I. cap. VI. fin. (g) In summa Conciliorum. (h) In Historia Concilior. General. (i) In Collectione, seu Corpore Iuris Canonici.

uel satisfactionem Canonicam per poenitentiam impo-
nendo, uel profus excommunicando. Quae quidem
excommunicatio, uel maior, uel minor, uel longior, uel
breuior olim erat, uti notat *Caeus*. (a) Videantur Aucto-
res, qui de Poenitentia Ecclesiastica egere, ut ex P. P. *Ter-*
tullianus, (b) *Cyprianus*, (c) *Gregorius Thaumaturgus*, (d)
Ambrosius, (e) aliique. Ex recentioribus, *Iob. Morinus*, (f)
Casaubonus, (g) *Pamelius*, (h) *Albaspinaeus*, (i) *Marcus*
Anton. de Dominis, (k) *Sarceius*, (l) *Niemeierus*, (m) *Sau-*
bertus, (n) *Iob. Wigandus*, (o) *Balduinus*, (p) *Quensfeldius*,
(q) *Dannbauerus*, (r) *Ludou. Elias Du Pin*, (s) *Knorrrius*,
(t) *D. Sonntag*, (u) ac qui instar omnium esse poterit,
Celeberr. *D. Fechtius* (x)

§. XXII. Iam si porro quaeratur, (z.) quidnam in
unumquodque horum capitum Disciplinae Ecclesiasticae,
Magistratui Christiano Iuris sit? ac quidem (z) quatenus
uerfatur haec Disciplina, circa leges, obseruantias quas-
dam Ecclesiasticas spectantes. Constat uero ex Prophe-
tonae, (y) quod Rex etiam Gentilis, denunciante Prophe-

F

cala-

(a) L. cit. part. III. cap. V. p. 745. seq. (b) De Poenitentia. (c)
Epistol. XV. et XXX. ac alibi. (d) In Epistol. Canon. (e) De
Poenitentia. (f) De Poenitentia. (g) Exercit. XVI. Diatrib.
43. (h) Ad Tertullianum. (i) L. cit. (k) De Republ. Ec-
clesiast. cap. VII. §. 21. seq. (l) In Opuscul. von der Kircken
Disciplin. (m) De Disciplina Ecclesiastica. (n) Im Zuchtbüch-
lein. (o) De Clauē ligante in Ecclef. Christ. De Suspensione a
Sacram. ad tempus. De Reconciliatione offensae Ecclesiae. (p)
In Comment. ad Timoth. cap. V. Epistol. I. quaest. I. p. 1359.
(q) In Antiquit. Ecclesiast. p. 952. (r) In Dramat. Sacro. p. 524.
(s) In Dissertationibus de antiqua Ecclesiae Disciplina. (t)
In Discursu Iuridico de Poenitentia Ecclesiastica. (u) In Dissert.
de Hyemantibus: ad Dilucidat. Can. XVII. Concil. Ancyran. (x)
In Dissert. De Indulgentiis Papal. §. VIII. XX. (y) In egregio
Tr. de Excommunicatione.

calamitates, mox irrupturas; Ieiunia publica, solennesque supplicationes, iuxta alia poenitentiae, ac humilitatis exercitia, indixerit. Idque alios Reges fideles, ex Iudais pariter, ac Christianis, olim fecisse, tum S. Scripturae, tum Historiae Ecclesiasticae utriusque monumenta satis aperte tradunt. Vnde facile iam colligendum, quid et hodie Magistratui Christiano in eiusmodi rebus agere integrum sit, ne dicam, incumbat. Reliquos ritus, qui forsitan ab Antiquitate ad nos peruenere, quique exercitium quoddam poenitentiae, atque fidei secum ferunt, utpote festa Christianorum solenniora, Natiuitatis, Pentecostes, et reliqua, quae, ut ut non sint Iuris Diuini, recte tamen, ob Auctoritatem Veteris Ecclesiae retinentur: (a) uel ceremonias quasdam, quae his, aliisque, a Magistratu Christiano, Cultui publico destinatis diebus, ut et ipsa die Dominica, obseruari debent; quaeque ad ornatum, ac reliquam *εὐχρησιότητα* pertinent, ita moderari potest ac debet, ne in superstitionem degenerent: uel, si ad hanc necessario deducerent homines, eas mutare, atque corrigere, quinimmo prorsus abolere. Hoc enim Leo M. Pontifex Rom. fecit, qui testante B. Hildebrando, (b) ritum, Solem uersus orandi, abrogauit, *relicto memorabili exemplo apud posteros, ritus etiam Apostolicos, et Oecumenicos, si superstitione accesserit, abrogari posse.* Id uero pii Reges, ad exemplum Hiskiae, aliorumque piorum Principum, maiori facere poterant iure. Quatenus hoc (β) uersatur circa leges Ecclesiasticas, quae uitam externe quoque sanctam, ac mores Christiano dignos, praescribunt. Hic uero ante omnia id monendum duco: Leges ciuiles, si uel maxime de moribus praecipiant,

a) Confer. B. Chemnitius in Exam. Concil. Trit. part. IV. p. 807.
 (b) In Rituali Orantium. p. m. 18.

plant, uel omnino haec non respicere, uel si respiciant, rem tamen nondum conficere. Sic, ut a posteriori incipiam, exstant equidem quaedam leges Gentilium, atque ciuiles, de temperantia praecipientes; uerum hae nondum sufficiunt, ad temperantiam uere Christianam hominum mentibus instillandam. Namque, ut ut e. g. quaedam temperantia in uictu, praecipue in potu, per leges quasdam ciuiles requiratur; quum testante *Dn. Köblau*, (a) uitium ebrietatis non solum legibus diuinis, atque naturalibus, sed et *ciuilibus*, ac denique Canonibus, interdictum sit; hae tamen leges ciuiles, si quae olim fuerint, hodie tamen, uel non obseruantur, uti colligere licet partim ex eo, quod nihil frequentius est, quam delictis ebrietatem, nec sine spe mitioris, a Iudice obtinendae sententiae, praetexere, nec sine illo quidem plerumque successu; (b) partim ex uerbis Icti optimi, *Brunnemanni*, qui (c) *Admirazione dignum*, ait, *quomodo Magistratus rem, tam necessariam, neglexerint, ut hodie crapula sit impunita.* (d) Vel, si omnino eiusmodi leges in uigore adhuc essent, ultra enormem tamen ebrietatem, qua et ipsa externa Societatis salus, certo modo laeditur, non procederent; ne scilicet quis ebrietatem, artis instar quotidianae exerceat, uel tumultum, ubi mero, aut alio liquore, se nimis ingurgitauerit, excitet. Nam nec leges naturales ultra haec progredi, ex eis, quae inter Theologos atque Medicos, de commo- do ebrietatis, aliquando in sanitatem hominis uergente, sunt disputata, satis addisci poterit. Christianum uero docuit Reuelario, decere ut ne semel quidem

F 2

(a) In dissert. Inaug. sub praesidio Bodini, Icti habit. Halae 1705. de Iure circa Ebrietatem. (b) Vid. Salmuth. ad Panciroll. lib. I. p. m. 575. (c) In Processu Inqu. Cap. V. n. 8. (d) Vid. Marbachii Dissert. Inaugur. A. 1712. Ienae habit. de Deo. commissis §. XXX. p. 72.

dem, ne dum saepius, cum proaeresi, quae se ad ipsam quoque occasionem peccandi, haud euitatam, extendit, ebrius fiat, ne dicam temulentus. Hanc uero Christianam sobrietatem, per leges ciuiles minime requiri, summae tamen inter Christianos necessitatis esse, quilibet uider. Hinc prima uis temporibus a Rectoribus, et Praesidibus Ecclesiae, qui, ob defectum Magistratuum Christianorum, plerumque ipsi erant Episcopi, non inuita quidem, sed consentiente Ecclesia, tales Ecclesiasticas leges latas fuisse nouimus, quae inter alia uicia, et ebrietas, non solum enormis, sed quaecumque, prohibita fuit. Nudis quippe adhortationibus, frequentioribus licet, atque grauioribus Doctorum Ecclesiae, parum profici, facile intelligebant antiqui. Canones igitur hac quoque de re condere, poenisque, Religioni conuenientibus, eosdem communire, necessarium ducebant. Quod et deinceps in Conciliis, ubi celebrari coepere, sub Episcoporum adhuc directione, obseruatum fuit. Simulac uero Principes, ac Imperantes se Christianae Religionis socios professi sunt, iisdem ius hocce, leges huiusmodi sancienti, tanquam Nutritoribus, ac Defensoribus Ecclesiae, cessit, quod alioquin Episcopi, atque Presbyteri, ob Vicariatum, ut sic loquar, eorum nomine exercuerunt. Posterioribus itaque Conciliis, quibus Ipsi Imperatores praesidebant, Canones quoque de moribus praecipientes, conditi, aliaeque eiusmodi leges Ecclesiasticae sancitae sunt. Qua propter et hodie Magistratibus Christianis curandum est, ut Constitutiones eorum sint conformes Disciplinae Ecclesiasticae, id est, ut leges condant, quae subditos Christianos, non solum ut ciues, sed et ut ciues Christianos spectent. Adeoque suis legibus, quas ab obiecto Ecclesiasticas dicas, praescribere possunt, et debent, ea, de quibus leges ciuiles prorsus silent, u. g. ut dies Dominica ab omnibus sancte celebretur,

tur, etc. et poenas iidem, Religioni non repugnantes, eisdem ut subiungant, non absonum est.

§. XXIII. Et ex his quidem colligi iam potest, quodnam Magistratus Christiani circa alterum Disciplinae Ecclesiasticae caput, circa peccatores nempe notorios, officium sit. Nonnulli quidem modernorum Politicorum, Potestatem Imperantium circa Sacra, ultra quam fas est, extendere, et e. g. scribere non erubuerunt: Disciplinam hanc Ecclesiasticam, Excommunicationem scil. cum suis annexis, a Magistratu plane tolli posse, quinimmo debere. Verum enim uero haud licet eam Disciplinae partem, quam Christus Ipse Ecclesiae commendauit, quamque Apostoli, ac P. P. primaevi, sedulo obseruarunt, uel impedire, uel tollere, sed potius, suam, coelitus Illis concessam Potestatem, ad hanc promouendam adhibere debent; Multa quidem olim a gentilibus delicta impunita transmissa sunt, quae, ut Christiani Magistratus puniant, Religionis non solum Sanctitas, sed et Ius naturae exigit; interim poenae ciuiles Ecclesiasticas non absorbent, sed utraeque simul locum habere possunt. Digna, ut ut prolixiora, sunt quae hic legantur, uerba *D. Calixti*, (a) quae ita fiunt: *Qui grandi aliquo et notorio delicto, Deum, Ecclesiam, Republicam, et Proximum offendit, totidem sortitur fora, ut ita loqui liceat, Diuinum, Ecclesiasticum, Ciuile, et Priuarum. Nec satisfactio uni praestita, praeiudicat aliis, quin ipso quoque sibi debitam exigat. V. g. occiderit quis filium familias, et cum Parentibus in gratiam redierit, et ab his ueniam impetrorit, id non efficit, ut in homicidam, Ecclesiae, et Reipublicae Ius suum non maneat. Conciliatus fuit per ueram Deo poenitentiam, hoc tamen ipsum non efficit, quin a Ciuili Magistratu capite plecti possit. Si condonent Parentes, poenam quoque mitigent*

(a) In appendice ad Ernest. Hess. Landgraff. p. 125.

Magistratus, et per ueram poenitentiam a Deo remissionem impetrauit, nihilominus propter offensionem, et datum publice scandalum, et ut de serua eius poenitentia constare possit, Ecclesiae, publica poenitentia, et poenis Canonice satisfacere, et quamdiu praestarentur, a Communione olim abstinere uentabantur. Addo uero: multa esse uitia, quae ne quidem sub Magistratus Ciuilibus poenas cadunt. Quae enim poena ciuilibus statuetur u. g. implacabilibus, immisericordibus, tenacibus, scurris, atque turpi-stultiloquia proferentibus, etc? In his sane corrigendis, ad Disciplinam Ecclesiasticam recurrendum est, quod erudite ostendit *D. Febrius.* (a) Si quaeras, quatenam hac in re Magistratus Christiani sint partes? Respondeo: ut in utraque Excommunicatione officium faciat. Nam non modo illa, quam Papa *Maio-rem* uocat, (quae uero nihil aliud est, quam poena ciuilibus, ut *B. Lutherus* testatur, (b)) ad Magistratum spectat, sed *ex suo modo Ecclesiastica*, et quidem tum *Maiores*, tum *Minores*. Est enim *illius* usus, his temporibus, fere est abrogatus, qui ramentum, ob corruptissimos hominum mores ualde necessarius est; ei autem reuocando soli Doctores Ecclesiae non sufficiunt, facile apparet, Magistratus hic requiri operam, ut reuocetur, et in pristinum restituatur status, haudque minori, quam in prisca Ecclesia, fructu exerceatur. Confer. *Musaeus.* (c) *Minor* uero, solis quidem, si exercitium spectes, Dei Ministris competit, adeoque Magistratus Politicus, licet Christianus, illos, quinam ligandi sint, quinam soluendi, docere haud debet, siquidem hoc ipsum a suo Domino Iesu Christo iam satis edocati sunt per Verbum; interim potest ac debet eos regere, ut

(a) In suo, quem iam laudauimus, egregio Tract. de Excomm. (b) In Artic. Smalcald. p. m. 333. (c) In Praefat. ad Tract. de Poenit. contr. Stengerum.

ut cum *B. Zieglero* (a) loquar, per Agenda, ut uocant, Ecclesiastica, eos admonendo, ne suarum, quae sint hoc in negotio, partium obliuiscantur. Ac licet aliquando Pastores hac potestate abusi fuerint, propterea tamen simpliciter eis non erit subtrahenda, sed potius iuxta *Canonem II. Concilii Agathensis*, A. C. 505. celebrati: *Episcopi, se Sacerdotali moderatione postposita, innocentes, aut minimis causis culpabiles excommunicare praesumserint, -- a uicinis Episcopis eiusdem Prouinciae, literis moneantur*, (b) uel medijs, praesenti Ecclesiae statui conuenientibus, ad obseruationem eius, quod decet, adigantur. Certe uidentum est Magistratibus, ne Ministros Dei suo in officio impediant, sed potius tueantur, ac iuuent.

§. XXIV. In probanda, denique (3.) utilitate, quae ex huius Disciplinae Ecclesiasticae Cura, Magistratui Christiano obseruata, in subditorum Salutem Spiritualem promanat, non est, ut prolixior sim, quam ista per se clareat. Quando enim tradit leges, quae (a) obseruantias quasdam Ecclesiasticas praescribunt, quando u. g. indicit Solennes supplicationes, quae plerumque coniunctae sunt cum ieiunijs publicis, ac alijs eiusmodi exercitijs humilitatis, ac poenitentiae, quorum usum pia Antiquitas non improbauit: (c) semper Saluti subditorum consulit. Licet enim eiusmodi exercitationes corporales, non ex opinione cultus, aut meriti alicuius, aut quod in se, Deo acceptae sint, (qui error est crassissimus Pontificiorum) instituendae haud sint; sua tamen utilitate haud carent; exercitationes quippe

(a) De Iur. Maieft. Lib. I. cap. XIII §. 14. (b) Vid. Caranzae Summa Concil. p. m. 228. Add. Wigandus de Excommunicatione, etc. p. m. 180. - 190. (c) Vid. Clemens Alexandr. Paedagog. Lib. II. cap. 1. et 2. Add. Pfannerus in Obseru. Ecclesiast. part. II. Obseruat. VI. p. 32. seq.

quippe spirituales, preces, meditationes Verbi, his obseruat, eo alacriores fieri posse, nemo inficias ibit. Inuitantur quoque homines ad seriam poenitentiam, eiusmodi diebus solennibus, atque admonentur, et pii ad ardentius orandum excitantur, uitia quoque grauius taxantur, etc. Reliquos uero ritus quod concernit, quibus ardor quidam deuotionis excitari potest, ut u. g. Sacer Baptismi actus, non nisi, exceptis necessitatis casibus, in coetu publico administretur, quo omnes sui baptismalis foederis recordentur; itemque, ut omnes Christiani, nisi qui urgentibus causis adesse, uel perdurare non possunt, Celebrationi S. Coenae intersint, suamque deuotionem cum aliorum coniungant, aliaque id genus obseruent; haec omnia, ubi per Magistratum procurantur, subditorum Saluti inseruire, euidens est. Quod, si (β) certis legibus, mores Christianorum subditorum, extra coetum uersantium, ordinat, ne sic quidem utilitati eorum non consulit. Quando enim leges feruntur, u. g. de omitendis scurrilibus iocis, scommatibus, obscœne dictis, famosis libellis, de omitendis, die Dominica, choreis, ludis, comestationibus; de seruitiis ad frequentationem Sacrorum assuefaciendis, de sanctificando Sabbatho, per diligentem lectionem et meditationem S. Scripturae, de sollicita educatione liberorum, etc. tum profecto non parum commodi redundat in subditos. Euidens quoque utilitas est Disciplinae, Magistratu Christiano obseruatae, quatenus ad *Excommunicationem* utramque concurrat. Quando enim *Minor* legitime exercetur, Salus hominum Spiritualis non parum procuratur, partim negatiue, dum cauetur, ne homines huius S. Epuli abusu, grauius sibi attrahant iudicium; partim positue, dum plures alii hac ratione excitari possunt, ut tanto enixius digni esse conuiuiae cupiant, crassam Mysteriorum

rum ignorantiam deponant, uitam circumspectius, et magis iuste instituant, oblatum in S. Coena thesaurum tanto carius aestiment, maiorique desiderio anhelent, etc. Quin, et utilitatem, haud exiguam, sperare licebit ex *Maiori*, quam uocant, *Excommunicatione*, si ad praescriptum Christi, ac praxin Veteris Ecclesiae, instituat. Nam, ut unum, alterumue saltem Eius commodum Spirituale attingam, (quum alioqui iam olim ab aliis, ac nostro tempore, a Celebr. *D. Febrizio (a)* probata, ac contra Fanaticorum, aliorumque Libertinorum obiectiones satis uindicta sit:) primo mihi persuadere uix potero, omnes adhortationes, atque increpationes erga peccatorem scandalosum, atque notorium, in indiuiduo, coram uniuersae Ecclesiae coetu usurpatae, apud omnes irritas, ac frustraneas fore, licet forsan priuatas non adeo tenderit. *D. Paulus* enim, suum adhortans *Timotheum* *(b)* *Ut peccantes coram omnibus redargueret*, dum adiectione particulae α , finem harum increpationum, hunc quoque esse statuit, ut et ceteri timorem concipiant; hoc innuisse uidetur: esse illas tum aliis, tum ipsis peccantibus, salutare. Vid. *Sarcerius*. *(c)* Discunt etiam hac ratione homines *Dignitatem nominis Christiani*, quae utique maxima est, atque sublimis, (uid. *D. Buddeus*, *(d)*) eo melius intelligere, eamque magnificere. Neque satisfactiones Ecclesiasticae, quod unicuique adhuc addendum est, suo, dummodo a fermento Papali sint purgatae, destituuntur usu. Vid. *Dalleus*. *(e)* Publica enim confessio, humilisque deprecatio, quas solas nunc nominare liceat, quan-

G

(a) In luculento Tract. de Excommunic. *(b)* 1. Epist. V, 20. *(c)* Von der Kirchen Disciplin. p. 154. *(d)* In Dissert. de origine, usu, atque dignitate Nominis Christiani §. XX. seqq. *(e)* De Sacrament. Latin. Consequent. Lib. III. cap. VI.

quantum ingressum in corda audientium aequae, ac ipsorum lapsorum habeant, me tacente, res ipsa loquitur. *Disciplina igitur, (ut denique cum Cypriano (a) hanc materiam concludam,) fomes ac nutrimentum bonae indolis, Magistra Virtutis est.*

§. XXV. Equidem non sine causa vereor, ne multis severitas saltem, quam urgeo, tum Ecclesiasticae, tum Civili, Disciplinae displiceat, eo quod tantum hypocritas reddat. Sed enim prior, per Celeberr. *D. Februum (b) satis iam vindicata est ab hac imputatione iniqua; Civili, nero eadem facilitate defendi posset, si diutius his immorari chartae angustia permitteret. Certum enim est, ut pauca haec addam, quod Amor sine Disciplina) prouti belle monuit Sarisburiensis, (c) non proficit, quia cessante Iustitiae stimulo, populus se in illicita resolvit. Ut adeo salutaris severitas iuxta effatum Ciceronis, (d) speciem inanem Clementiae omnino vincat. Esto autem, per utramque hypocritas fieri homines, non sinceros, ac vere pios Christianos: ideo tamen Magistratus Christianus ab ea nondum cessare debet. Nam, ut silentio transmittam, quosdam saltem hac ratione adduci posse ad poenitentiam: verendum est, ne nimia licentia, mox in aliquod magnum malum evadat, iuxta effatum Tertulliani, (e) per quod, procul dubio, securitatem intelligit. Quum itaque e duobus malis, minus sit eligendum; merito quis quaesierit: VIRVM MAGISTRATVM CHRISTIANO SATIVS SIT, SVBDITOS SVOS CHRISTIANOS REDDERE HYCRITAS, AN SECVROS? In quo dextre explicanda, postquam hactenus de Magistratu, ac rebus, eo pertinentibus, dixi, sequitur nunc, ut terminum Hypocritae exponam.*

§. XXVI.

(a) Tract. II. (b) In saepius laudato Tr. de Excomm. (c) Libr. IV. 8. (d) Epist. II. Brut. (e) In Exhortatione ad poenitentiam pro Adelph. III. 4.

§. XXVI. Omnium uero consensione, is *Hypocrita* dicitur, qui se talem esse simulat, qualis reuera non est. Est enim uox Graeca, descendens a uerbo ὑποκρίνομαι, quod assimulare, seu histrionem, id est, personam fictam agere, significat. Si quis igitur se religiosum, atque pium, seu, ut uno uerba dicam, Christianum simulat, reuera tamen Christianus non est, ille hypocrita audit. Hinc est, quod in S. Literis ita describatur, ut ἔχοντες μόρφωσιν τῆς εὐσεβείας, τὴν δὲ δύναμιν αὐτῆς ἠγενήμενοι, formam Pietatis habentes, abnegantes uero illius uirtutem. (a) Gradus uero hic admittendos esse, nemo non facile intelliget. D. Buddeus, (b) hypocritae quinque in classes distribuit. Primo enim sunt (1) hypocritae, non modo impii, sed stulti, quoque, atque inepti, si qui scil. pii, et religiosi uideri uolunt, qui tamen ipsi, se tales non esse, norunt, nec ab aliis, saltem Prudentioribus, pro talibus habentur. Deinde (2) sunt hypocritae *crossissimi*, qui pii, atque religiosi haberi uolunt, ab aliis quoque, eo quod externe ita se gerunt, pro talibus habentur: ipsi tamen in Conscientia conuicti sunt, se tales non esse, quum adhuc in peccatis uoluntariis, clandestinis licet, uiuant. (3) Dantur hypocritae, qui, et sibi ipsis pii uidentur, et ab aliis, pro talibus ut habeantur, quandoque impetrant; sed peccatis tamen contaminantur grauioribus, quae ipsis tamen uel peccata saltem infirmitatis, quibuscum fides bene consistere queat, aut prorsus nulla, reputantur. Hos merito *crossos* quis dixerit. (4) Sunt, qui et sibi ipsis pii uidentur, et facile quoque ab aliis quandoque impetrant, ut pro talibus habeantur, siquidem magno studio peccata, praecipue externa, fugiunt, hoc tamen ex spiritu saltem, metuque seruili, atque Pharaaico, qui legis uim internam haud

G 2

agno.

(a) 2. Timoth. III. 5. (b) In Instit. Theolog. Moral. part. I. cap. I. §. XXX. seq. p. m. 47. seq.

agnoscunt, adeoque internis quandoque cupiditatibus indulgere, sibi religioni haud ducunt; aliosque, ob suam externae pietatis larvam, prae se contemnunt. Hos *subriles*, si quis dixerit, non aberrabit. (5) Denique sunt *hypocritae subtilissimi*, qui et sibi, et aliis, et irreprehensibiles videntur, et suo sensu, nonnunquam reuera sunt, peccata interna, et externa summo studio fugiunt, cupiditatibus pravis bellum indicunt, sed iisdem tamen sub Virtutis, sanctitatisque specie, aliquando indulgent. Iam si quaeratur, quinam hic intelligendi sint hypocritae? Primam, atque tertiam classem hic non attendi, quilibet videt; quum tales hypocritae, per seueriorem Disciplinam fieri nec possint, nec soleant, sed potius ab ea corrigantur. Tres uero reliquae classes, II. nimirum, IV. atque V. huc quodammodo pertinere videntur. Nam, a postrema ut incipiam, diffiteri non possum, pessime nonnullos Disciplina Ecclesiastica fuisse abusos, adeoque meros euasissse hypocritas, qui diuinum simularunt Zelum, suis autem pravis affectibus, sub hoc Pietatis praetextu indulserunt. Qua de re legi poterunt, ex ipsis Pontificiis, *Du Pin*, (a) *Maimburg*, (b) nec non *Aucror*, qui sub literis. M. PHBT. C. latere uoluit. (c) Add. *Reiserus*. (d) De Ciuili autem, quid in hoc casu acciderit, *Auctores* Politicarum, seu Historici Practici, ut uocantur, consuli poterunt. Et quamuis tam enormis abusus, hodie haud amplius timendus esse uideatur, subtilem tamen adhuc metuendum esse utrinque, non facile negarim. Quartam quod spectat classem, iterum haud inficias ibo, potuisse, ac etiamnum posse, nonnullos, occasione huius utriusque Disciplinae seue-

(a) De antiqu. Eccles. Discipl. Dissert. III. cap. I (b) En Traité Histoire de l'Établissement &c. (c) En Traité des Excommunication. (d) In Roma non Gloriosa. p. 430. seq. et 497. seq.

feuerioris, in hypocrisin illam subtilem, prolabi, seu, ut cum *Dn. D. Buddeo*, (a) loquar, transire ex statu securitatis, in statum seruitutis, seu legalem; ut solum ob metum seruilem, ac Disciplinam rigidam, a peccatis abstineant. Nec minus in illam quoque crassissimam, quae secundae classis est, hypocrisin, quosdam huius occasione incidere posse, concedo, ut secundum prouerbium: *Si non caste, tamen caute*, uiuere discant. Ad has itaque tres classes hypocritarum, imprimis ad II. et IV. in subsequentibus mihi respiciendum erit.

§. XXVII. Superest uocabulum *Securi*, quod *hypocritis* opponitur. Dicitur autem, ui etymy sui, *securus*, quasi *sine cura*, ἀμέμηνος, ille, qui sine cura est. Conferri possunt, de hac uoce Glossaria, ac Philologi passim. *Theologice* uero *securus* uocatur ille, qui *sine timore irae Dei*, et *Iudicii diuini*, *sine poenitentia*, *sine fide*, et *Dilectione Dei* uiuit, *B. Chytraeus* (b) eum describit: seu, ut uno uerbo dicam, qui sine Cura Salutis suae, si non omnimoda, tamen debita, in diem uiuit. Dicuntur itaque *securi* Diuo Paulo, homines *χωρίς νόμου*, sine lege, seu exleges, non quod *iure*, sed *facto*, tales sint. Est uero securitas alia naturalis, alia affectata; atque malitiosa. Illa ex corruptione naturae profluit, ac nihil aliud est, quam naturalis *ἀπιστία*, ignorantia scil. mentis, per quam nec peccati atrocitas, neque ex eo nata, miseria humana, neque Diuinae Iustitiae seueritas, recte percipitur; tum uero peruersitas uoluntatis, ut quis neque Deum Iustissimum Iudicem, satis, recteque expauescat, neque de peccatis adeo doleat, nec de sua, ex hoc tristissimo statu, liberatione serio cogitet. *Haec* uero, nempe *malitiosa*, est

G 3

(a) L. cit. part. I. cap. I. Sect. I. §. XXIV. p. m. 47. (b) In Regulis Vitae p. m. 33.

est incredulitas affectata, orta, ex socordia dominante, seu neglectu, et contemptu mediorem, quibus somnus securitatis excuti potest; ubi, iuxta *Chytraeum*, (a) homo uiuit in perpetuo stupore, negligens iram, et iudicium Dei. Et ob hanc proprie quis dicitur in statu securitatis esse. Naturalis quippe securitas etiam Regentis, quodammodo adhuc adhaerere solet, ut *B. Chytraeus* (b) probe monet. *In piis*, ait, *etiam Timor Dei naturali securitate, et frigore pectorum languescit, et impeditur*. Ex quibus dictis facile patere puto, quod hic non de priori, sed saltem posteriori, securitatis specie mihi sermo sit. Quae ipsa uero non eodem se habet modo. *In quibusdam enim*, sicut *D. Buddens* (c) notauit, *securitas aperta et proterua detrehenditur, in aliis eadem occultior est, et sub uelamine quodam hypochritico laritat*. In statu securitatis aperta ea omnia cogitat, dicit, agit homo, ad quae amor sui inordinatus, prauusque affectus eum impellit. Hinc Cultus Diuini interni, et externi neglectus, aut contemptus, effrena libertas in loquendo, uiolentia affectuum, abusus sensuum, et creaturarum, conformatio ad sechema mundi, et quaeuis opera carnis *Galat. V. 19*. Haec omnia aperre eiusmodi homo designare paratus est, nisi forte, aut commodum aliquod aliud quid suadeat, aut poenae, ignominioeque metus; uel aliud quid, eam deterrereat. Status securitatis occultior est, quando homo, ea omnia, ad quae inordinato sui amore, prauoque affectu ducitur, cogitare, dicere, agere paratus est, sed ut speciem tamen quandam Christianismi, et honestatis retineat, et a peccatis grauioribus sibi temperet. Cultui igitur Nummius externo, ut operi, quoduocant, operato fauent, qui in eo constituti sunt, preces, consueto tempore fundant, Verbum Dei interdum baud illibenter sibi audire uidentur,
Virtu.

(a) L. cit. (b) L. cit. (c) L. cit. §. XVII. et XVIII. p. m. 42.

Virtutisque speciem facile assumunt, uitiaque contraria fugiunt, siue hoc ex temperamenti, educationisque, siue ex aliarum causarum naturalium, aut moralium conditione contingat. Illi, qui ad primam pertinent classem, solent nomine Epicureorum, aut Atheorum practicorum, insigniri, quia uel reuera nullum credunt Deum, etsi ore hoc non fateantur, uel ita tamen securi in diem uiuunt, ac si nullum crederent. Hi, qui subtiliori laborant securitate, hypocrisis quadam permixta, suam ueram procrastinantes usque ad uitae finem poenitentiam; contenti interim cultu externo, ac a peccatis enormibus sibi temperare, carnales atque terrestres homines appellari possunt. Vtrumque uero hoc hominum genus, in posterioribus, mihi attendendum erit, ubi disquisuero, **VTRVM MAGISTRATVI CHRISTIANO SATIUS SIT, SVBDITOS SVOS HYPOCRITAS, AN VERO SECVROS REDDERE.**

§. XXVIII. Verum necessitas postulat, ut uocem quoque *reddere*, in proposita quaestione occurrentem, nonnihil prius enucleem. Aliquando autem eam idem esse, ac *facere*, uel ex *Cornelio Nep.* (a) constare potest. Quo significato mihi etiam h. l. accipitur, sic tamen, ut *efficiencia* non *physica*, sed *moralis*, eademque *indirecta*, et cum *effectu accidentali* coniuncta intelligatur. Quando enim Magistratus *Disciplinam* uel *urget*, uel *laxat*, *per se*, et *directe*, subditos suos, nec *hypocritas*, nec *Epicureos*, aut *securos*, facere intendit, sed potius ueros, et sinceros Christianos, qui non solum a uitiis abstineant, sed et *Pietati*, sponte, ac ingenuae, ac citra ullam coactionem, studeant. Quando autem, quum *urgetur* *Disciplina*, pro *sinceris*, *hypocritae*, et quum *omittitur*, pro *spontaneis et ingenuis*, *Epicurei* et *securi*, emergunt, id fit ex *accidenti*. Interim

(a) In Themist. Cap. II. 1. et 3.

Interim, quum sciat Magistratus Christianus, hoc, uel illud, ex eo, quod uel facit, uel omittit, securum esse; fore nimirum, exulceratis his temporibus, ut homines mali, haud pauci, ob peruersum suum ingenium, per Disciplinam, ubi adhibeatur, seueriorem, facile in hypocrisin, alii contra iam mali in extremam malitiam prolabantur non solum, sed bonorum quoque nonnullos infirmiores, secum abripiant in securitatem, ubi Disciplina laxior, ac remissior, diutius maneret: Is uero nihilominus, ex causis, quas fonticas arbitratur, illam uel urget, uel omittit; utique aliquid facit, uel omittit, ex quo, hypocritas, uel securos, euafuros esse, nouit. Et hac ratione mihi dicitur uel hypocritas, uel securos reddere subditos suos.

§. XXIX. De Voce SATIUS, aliquid, ut addam, opus haud erit. Quapropter, ut ad formandum quaestionis statum tandem deueniam, id quaeritur: VTRVM MAGISTRATI CHRISTIANO, qui non solum ad sanae rationis dictamen, et naturae leges, sed ipsius quoque S. Scripturae, ac imprimis Christi doctrinam, suum componere officium, atque subditos suos gubernare, serio studet: SATIUS, hoc est, consultus, melius Conscientiae Eius, Ecclesiaeque, ac Reipublicae, qua temporariam, atque aeternam Salutem, utilius sit, SVOS SVEDITOS CHRISTIANOS, partim illos, qui se Christianos quidem profitentur, uerum nominatenus saltem sunt tales; partim uero eos quoque, qui quidem reuera tales sunt, ob causas tamen aliquas, facile degenerare possunt, REDDERE, id est, quocunq; modo efficere, uel per seueriorem utramque Disciplinam HYPOCRITAS, qui Pietatem, atque Virtutem saltem simulent, grauiora tamen delicta uel prorsus omittant, uel saltem occulte perpetrent; aut, si ab his quoque abstinerint, interioribus tamen cupiditatibus praui indulgeant, spiritumque adeo Pharisaicum, atque seruilem habent; uel deni-

denique, ubi et haec abfuerint, sub sancto Disciplinae praetextu, suos prauos affectus explere studeant: VEL per laxiorem disciplinam, ob quam ne quidem peccata, Rempublicam turbantia, rite puniuntur, reliqua uero uel plane impunita, uel leuiter saltem correpta, dimittuntur: SECVROS? ita, ut uel ante uere boni, ac pii, homines quoque Epicurei, absque timore Dei, atque cura suae salutis, euadant; uel, qui quodammodo mali iam fuerint, extreme improbi fiant, qui omni prorsus Religionis, atque Numinis metu abiecto, modo non obftet commodum temporarium, quodlibet audeant, uel cultum Dei externum quidem obseruent, nihilosecius uero peccatis grauioribus se dedant, et hoc, illudue peccatum indifferens esse arbitrentur. Hoc est, de quo nunc dispiciendum.

CAPVT II.

Quo quaestio, argumentis pro, et contra uentilatis, deciditur.

§ I. Quod Cicero (a) scribit: *In eam potius peccandum esse partem, quae tutior est*, idem quoque, hoc in negotio, Magistratui Christiano dictum esse arbitror. Est uero, ut Problema propositum iam decidam, meo quidem iudicio, ea pars cautior, qua Magistratus Christianus facit potius, quae sui sunt muneris, ut ut per accidens, mali quid exinde consequi posse sciat; quam ut omittat aliquid eorum, quae Illi demandata sunt; et quibus omissis, mala necessario quasi eueniunt. Hoc est: SATIUS esse puro MAGISTRATVI CHRISTIANO, VT, per Disciplinae seuerioris, tum Ciuilis, tum Ecclesiasticae obseruationem, SVBDITI CHRISTIANI, uel specietenus tales, H
quique

(a) In Orat. pro Roscio Amerino.

quique alia ratione in officio contineri haud possunt; uel veri quidem, ueruntamen ad prauas cupiditates procliuēs, HYPOCRITAE, uel ex toto, uel ex parte, FIANŦ; QVAM per ut neglectum Disciplinae utriusque accuratoris, si non omnes, plurimi tamen, boni iuxta, ac mali, SECVRI, atque uitiosiores indies reddantur. Quae admodum uero *s. utrimo, Capitis prioris*, sic formaui quaestioni statum, ut commodum, non solum quatenus est Magistratus Christiani, in se considerati, sed et, prout ad Ecclesiam quoque, ac Rempubicam simul redundat, mihi attendendum esse, innuerim; ita iuxta hanc methodum, ipsam quoque assertionis probationem institui, ita, ut ostendam, primum Ecclesiae Christianae, deinceps Reipublicae, ac denique tertio, Ipsius Magistratus Christiani Conscientiae, atque utilitati magis consultum esse, si ciues, qui ueri fieri nolunt Christiani, beneficio Disciplinae rigidioris, fiant saltem hypocritae, et externe Christiani, quam plane securi, petulantes, et Epicurei.

§. II. Demonstrarem igitur primum oportet: *melius esse Christianae Ecclesiae, si Magistratus Christianus, per seueriorem Disciplinam utramque, suos subditos Christianos, qua partem, reddat hypocritas; quam negligendo illam, si non omnes plurimos tamen, securos, atque Epicureos.* Hoc uero duplici praestare potero modo, prouti hoc scil. uel uniuersae Ecclesiae uerae, uel huic, illius Eius membro, quinimo illis ipsis, qui hac ratione hypocritae redduntur, certo respectu, conducit. Cur rori Ecclesiae conducere statuum, ratio est in promptu. Quis enim non capit, hac ratione primo grauiora atque notoria uitia, quae nomen Christianorum, et Ipsius Christi, apud infideles in contemptum, atque suspicionem adducunt, (uideatur modo *Saluanus*; (a) e
Chri-

(a) Lib. IV. de Gubern. DEL. p. m. 147. seq.

Christiana Ecclesia proscribi, et ita scandala, infidelibus, u. g. Iudaeis, aliisque, iuxta, et inter nos habitantibus, haereticis item, atque aliis, a uera fide adhuc aberrantibus, data, remoueri: e contrario uero uiam conuersionis ad ueram, et Euangelicam Doctrinam, illis faciliorem, latioreque fieri. Nam quum patebit, Ecclesiam non uiriorum sentinam, ut cuilibet liceat, quod lubet; sed, Sanctitatis Templum esse, et quicquid Sanctitati (palam) aduersum est, extremo odio prosequi, ut ne quidem impuritatem, aut auaritiam, aut obscenitatem, aut stultiloquium, aut quamcunque aliam improbitatem conspicuam; in eadem nominari fas sit. *Ephes. V. 3. 4. amicis pariter ac inimicis innotescet*, ut uerbis *B. Fechtii* (a) rem exprimam: tum uero etiam Ecclesia uera incrementa maiora capiet; quod ipsum *Illustris Seckendorff* (b) merito inter reliquos Disciplinae, Magistratui obseruandae, usus recenset. Unde ist' also, inquit, der Hauptzug bey diesem Stück (Disciplina Christiana) ztens eine vermehrung der Christ-gläubigen Seelen, daß immer mehr und mehr zum wahren Christenthum gebracht werden. Quaeuadmodum enim Ipsa Ecclesia de occultis non iudicat, sed haec solius DEI Iudicio relinquit; ita nec Illa uicissim ab infidelibus, aliisque eius inimicis, aut infirmioribus quoque amicis, ob occulte commissa in Ea, iudicari poterit. Dummodo itaque aperte scandalosi, et manifesto improbi peccatores, a Magistratu Christiano, promeritis poenis castigentur, ac ab Ecclesia, usque dum serio respuerint, pro membris non agnoscantur, nec ad Illius facta admittantur; et illi soli pro membris ab ea habeantur, qui uitam, externe minimum, Christiano

H 2

(a) Loc. saepius cit. p. 10. seq. et Caluinus in Institut. Theol. Lib. IV. cap. XI. Sect. 5. p. m. 252. (b) Im Fürsten Staat. part. II. cap. XI. p. 267.

fiano dignam, agunt, ut ut interim omnes ingenue ueri Christiani non sint; utique Ecclesiae sua constabit opinio Sanctitatis. Immo uero Eadem subinde noua incrementa sumet, tum extrinsece, per accessionem infidelium, ac eorum, qui Christianismo quidem initiati, erroribus tamen grauioribus hucusque infecti sunt; tum intrinsece. Tametsi enim apud aliquos, loco proteruitatis, sequatur simulatio, haec tamen, tot scandala non praebet, quot ista. Interim alii, occasione ista, per Dei Gratiam, disciplina ita uti possunt, ac solent, teste experientia, ut uere conuertantur, et pro acriore adhibita Disciplina, Deo gratias agant; de quo tamen infra distinctius agemus.

§. III. Porro uero, quemlibet Historiarum Sacrarum non imperitum, mihi concessurum spero, quod Iudicia Diuina, uariis calamitatibus, et plagis se exerentia, nec in Ecclesiam, nec in mundum irruerint, nisi malitia hominum in apertam, atque enormem abierit securitatem, uel si mauis, hypocrisin crassissimam, stultam atque ineptam. Quin et utraque tum demum emerfit, quando nec Magistratus Politicus, neque Doctores Ecclesiae, debitam in coërcendis peccatis, adhibere diligentiam, sed impietati potius ipsi faces praetulerunt, corruptelasque fouerunt, ut ita totus pene coetus Ecclesiasticus, absque Dei timore, in uitis atque sceleribus sese uolueret, contentus interim opere, ut uocant, operato, cultus Dei, ac ne huius quidem integri, ac illibati, obseruatione. Alioqui, licet hypocritae quidam fuerint in Ecclesia, quippe qui Eidem perpetuo sunt admixti, tamen, dummodo Magistratus, atque Doctores Ecclesiae suum fecerunt officium, atque cauerunt, nec omnes in securitatem Epicuream prolaberentur, suae Ecclesiae pepercit Deus, iudiciaque sua peculiaria, eiusmodi hypocritas reuelando, exercuit. Certum est, *B. Lutherum* passim in suis scriptis,

scriptis, securitatem istam Christianorum effrenem, quam alicubi ita delineat: Es ist jetzt eine ganz glut neue Welt, Weltliche wollen die Gerechtigkeit nicht schirmen, sagen es sey gefährlich: Geistliche wollen nicht straffen, sagen es sey verdriesslich: Gemeine Leuth wollen nicht fromm werden, sagen es sey nicht bräuchlich. Lieber thue mir diese Hierarchie zusammen, wie ein trefflich schön Regiment wird sich finden, pro unica reputasse causa Iudiciorum diuinorum, queis tunc temporis, uariae calamitates, atque persecutiones uerae Ecclesiae ab infidelibus, Turcis u. g. aliisque Veritatis hostibus, inferebantur: atque ita existimasse, nisi haec exterminaretur ab eis, qui eiicere possunt, plagas, etiam multo uehementiores, in Ecclesiam irrupturas esse, immo Ei exitium attracturas. Quod si uero Magistratus Christianus, partim Disciplinae Ciuilibus accuratioris obseruatione, partim Disciplinae Ecclesiasticae collapsae restitutione, auxiliatrices Ministris Ecclesiae porrigit manus, illamque Ecclesiae pestem, plenarium alioqui exitium Ei attracturam, nefariam scil. hominum securitatem, eliminare studet, et sanctam e contrario, quantum licet, ueraeque Fidei conformem uitam urget, grauiora utique Iudicia Diuina, Ecclesiae uerae iam minantia, atque imminetia, per Dei Gratiam, adhuc auertere poterit, Eique hoc pacto beneficium haud exiguum conciliare. Vnde adeo Leonis M. (a) consilium probo, quum inquit: *His, quae mala sunt facta, correctis, malum rediintegrare Disciplinam, quam augere uindictam.*

§. IV. Paci denique, tertio, atque Concordiae Ecclesiasticae internae hoc ipso multum consuli posse, haud abs re me asserturum confido. Quid enim quae-

(a) Epistol. V.

so, maximam semper ansam, aut saltem *τροφασιν* dis-
 fensionibus, atque schismatibus in Ecclesia dedit, nisi
 probrosa Christianorum vita? Nolo testem huius rei ad-
 uocare Ecclesiam, quae seculo IV. atque V. per Dona-
 tistas, (uid. *B. Itigius* (a)) hac *τροφασει* foede pertur-
 bata fuit: neque prouocabo hic ad motus Anabaptisti-
 cos, tempore beatæ Reformationis suscitatos, qui eod-
 em ex fronte promanarunt, (confer. *Colbergiur.* (b)) Hodi-
 erna quippe, prohi dolor! eadem laborans dissidiorum
 miseria, sufficiens huius rei testimonium nobis perhi-
 bere potest. Quid enim hodiernæ Separatistæ, ut uo-
 cantur, magis praetexunt, ac crepant, quam turpem
 morum, in plurimis Christianis, corruptionem. Ac
 licet hanc minime sufficientem causam esse recedendi ab
 Ecclesia, lubens profitear, lapidem tamen hunc offensi-
 onis quis non remotum optaret? Hac uero ratione, mo-
 do res serio tractaretur a Superioribus, multa dissidia uel
 praecidi, uel in herba suffocari posse, nemo facile negare
 poterit. Dummodo enim notorii, atque scandalosi pec-
 catores a Magistratu Christiano, si quas promeruerint
 poenas ciuiles, debito modo plectantur, et, qui a pec-
 catis publicis, in quæ leges ciuiles non animaduertunt,
 semel, iterumque admoniti, non abstinere, ab Ecclesiæ
 communionem excludantur; de reliquis improbis, hypo-
 critis putâ subtilioribus, quorum improbitas non adeo
 manifesta, eoque minus scandalosa, tantæ lites seri haud
 poterunt, siquidem studium, quo Magistratus Christianus,
 una cum fidelibus Verbi Diuini Ministris, manifesta,
 atque scandalosam impietatem omnem cohibere, ac
 eo, quo decet, modo, ab Ecclesia proscribere tunc stude-
 bit,

(a) In Historia Schismat. Donatistar. (b) Im Hermetisch-Platon.
 Christenthum part. I. cap. IX. p. 338.



bit, omnes illas querelas retundere poterit. *Iustissima* alioquin, (ut *Calvinus* ^(a) loquitur,) est *offensio*, et cui plus *saetis* occasionis hoc *miserrimo* seculo praebemus; nec excusare licet *maledictam* nostram *ignauiam*, quam *Dominus* *impunitam* non *sinet*: ut iam *grauibus* flagellis castigare incipit. *Vae* *E. nobis*, qui *tam* *dissoluta* flagitiorum *licentia* committimus, ut *propter* nos *uulnerentur* *imbecilles* (quas a *turgidis* *Schismaticis* supra iam *distinxerat*) *conscientiae*, quae scilicet *magis* (ut antea dixerat,) *inconsiderato* *Iustitiae* zelo, quam *infana* illa *superbia* peccant.

§. V. Haec uero iam ad alia me deducunt. Non solum enim toti Ecclesiae, uerum etiam *uni*, *alterique* *Eius* *membro* *speciatim* inferuire dixi, si *Magistratus* *Christianus* *debitam* exercere *Disciplinam*, adeoque suos *subditos* *Christianos* *malos*, *hypocritas* potius, quam *bonos*, una, cum his, *securos* reddere satagit. Namque, ui *contrariorum*, *euentissime* hoc sequi, quilibet uidebit, quod hoc modo *multis* *infirmioribus* *parcatur* *conscientiis*. Norunt equidem ex *Sacra* *Historia*, in *Ecclesiis* quoque *Apostolicis*, u. g. in *Corinthiaca*, (uid. *B. Dannbauerus*, ^(b) ac *Calvinus*, ^(c)) *multa*, eademque *haud* *leuia* *scandala* esse enata, qualia etiam *subsequentibus* *temporibus*, in *aliis* *Ecclesiis* eruperunt. Verum et hoc *cognitum* habent, illa *partim* cum *peccatis*, e *pertinaci* *malitia* *commisissis*, qualia hodie *regnant*, et quae *sola* *punienda* esse hac *ratione*, contendo, *comparari* *haud* *posse*: *partim* uero, ubi *grauiora* fuerunt, ac *affectatam* in *malitiam* *abierunt*, *eiusmodi* *peccatores* *impoenitentes* *exclusos* *fuisse* a *sacris*; *Corinthios* uero ob *neglectum* *huius*, *grauiter* ab *Apostolo* *correptos* esse. ^(d) Non uero *saepius* *omnes* *pro-*

(a) In Institut. Theolog. Lib. IV. cap. I. Sect. 13. p. m. 209. a (b) In Dramate Sacro p. 448. (c) L. cit. p. 209. b. (d) s. Corinth. V. 1. seq.

promiscue, etiam notorios, et enormes, peccatores ad Sacra admitti queruntur, ac uident. Sunt equidem, fateor, quaedam rationes, haud imbecilles, quæ eiusmodi teneris Conscientiis, scrupulus hicce iniectus, iterum eximi potest, quod prolixè ostendit *Caluinus*; (a) aut consultius, meo quidem iudicio, esset, si illis omnis ansa, in eiusmodi tentationis laqueos incidendi, quoad fieri potest, atque debet, subtraheretur. *Fateor certo*, inquit *Caluinus* ipse, *magnum probrum esse, si inter filios Dei locum habeant porci, et canes: multo etiam maius, si illis profituatur S. S. Christi corpus. Neque uero, si bene moratae erunt Ecclesiae, sceleratos in sinu suo ferent; nec ad Sacrum illud epulum, dignos simul, ac indignos admittent.* De latentibus in coetu peccatoribus, hypocritis nimirum, usque adeo angi non possunt, quum hic Ipsum Iesum Christum tuto imitari possint, qui Iudam hypocritam, nec a sua cõmmunione externa, neque ab ipsius S. S. Coenae usurpatione exclusit. Vt adeo de illis, una cum ipsis in Ecclesiae coetu uersantibus, atque unum cibum, et potum participantibus, solliciti esse haud debeant.

§. VI. Sed restant alii in Ecclesia, quibus in specie, eo, quo dixi modo, Magistratus Christianus, magis consulere potest, infirmi nimirum, ac simplices, qui ad designanda peccata grauius adhuc procliuiiores sunt, ita ut irritati malorum exemplis, ubi eos impune peccasse uident, facile eadem committunt. Ipsa enim experientia, (ne superius dicta §. XIX. *Capitis prioris* repetam) hoc *Cypriani* (b) effatum confirmat: *Securitas indiligentiam parit*, quia homines de correptione securi, si quid mali forsitan commiserint, minus sibi attendunt, ac peccata infirmi-

(a) L. cit. (b) L. II. Epist. 2.

firmitatis in dominantia tandem abire sinunt, quum non sint; qui in eos animaduertant; adeo iuxta *Velleium*, (a) *Vitia semper facultatibus*, licentia, et assentationibus aluntur: uel, ut *Seneca* (b) enunciat: *Crescit licentia spiritus*, (scu, quod mallet, caro, uel spiritus carnalis.) Perbel-
le quoque hoc de negotio *Bernbardus*, *Impunitas* inquit, *incuriae soboles*, *insolentiae mater*, *radix impudentiae*, *transgressionum nutritrix*. Et alibi: *A minimis uitiis incipiunt, qui in maxima prorumpunt*. Execratur itaque merito illam Disciplinae incuriam, *Isidorus*, (c) quum ait: *Est nihil peius, quam peccandi libertatem habere*, id est, quantum ego quidem capere possum, spem impune peccandi nancisci. Vbi uero per accuratiorem Disciplinam, exempla praua tolluntur, ac delinquentes debito modo puniuntur, utique infirmioribus haud exiguum deinde nascitur emolumentum; licet interim ipsi correpti forsan, per suam culpam, conuerti nolint. Dummodo enim manifesta remoueantur scandala, ac irritamenta malorum, homines isti non tam facile in scelera ruent. *Magistra* quippe *pudoris*, et *modestiae seueritas censoria est*, sicut *Gentilis* dixit, *Cicero*, (d) uel, ut *Christianus Doctor*, *Ambrosius*, (e) hac de re loquitur: *Vbi rerum gestarum exempla sunt, nemo audet queri, nec aliquam excusationem obtendere*. Ut adeo et hic locum inueniat illud *Nicetae*: *Cum castigatione impiorum, bonorum restitutio* (ubi ad malum quoque inclinare coepere,) *coniuncta est*. Nam a securitate, indiligentiam pariente, hac ratione praeseruantur, ac praemuniuntur. Occulta uero peccata, quae ab hypocritis fiunt, ut ut grauiora, illis usque adeo noxia non sunt, si uel maxime aduerrendi occasionem habuerint; quia interim eadem publice in

I

(a) Lib. II. (b) Lib. II. de Ira, cap. 21. (c) De Praelatione.
(d) In L. Pison. (e) In Comment. ad IX. Rom.

ce in aliis, illa palam committentibus, corripi uiderunt, aut uident etiam uum. Ipse etiam metus, quem in istiusmodi hypocritis obseruant, ubi forte in sua improbitate ab aliis, quos sui similes haud censent, deprehenduntur, eos, quo minus eadem clam committere sustineant, satis abstrahere ualebit, siquidem, iuxta *Nicetam*, *timida res est improbitas, ac suo pre testimonio conuincitur, et, urgente conscientia, nihil boni expectat.*

§. VII. Non solum autem uera Ecclesiae membra, ut ut infirmiora, hoc modo a recidiuis, ut uocantur, lapsibusque grauioribus, aliqua ratione praemuniri possunt; uerum et ὑποβολιμαίους, atque putridis istis, impiis scilicet ac securis in suis peccatis, hominibus, Magistratus Christianus, hac ratione haud exiguum beneficium exhibere ualebit. Sicut enim, monente *Maximiano*, (a) *Impunitas instat audaciam*, seu ut *D. Cyprianus* (b) docet: *Audacia facinorum in hominibus maior est impunitate securo*; uel ut iterum scribit: (c) *Audacia eo maior est, quo securior culpa*, et tandem: (d) *Vehementer infrenis est, cui non incutitur timor, alio pereunte*; ita profecto multum ad coercendam audaciam ualeat propositum punitionis exemplum, sicut *Paulus Diaconus* (e) dixit. *In unius enim exitio, quisque imaginem sui periculi considerans, documento recenti, similia formidat*, iuxta effatum *Ammiani*. (f) Et ita saepius, cui uerba (admonitiones Ministrorum Verbi) non satisfaciunt, solent exempla suadere, dicente *Ambrosio*. (g) Et, si uel maxime plurimi istiusmodi hominum securorum, seu ferrioris Disciplinae obseruatione, hypocritae saltem reddantur, quosdam tamen, qui alioquin una cum reliquis securis

(a) In Panegyri. (b) Contra Demetr. (c) Lib. II. Epist. 2. (d) De Singul. Cleric. (e) Lib. VI. (f) Lib. XIV. (g) In Comment. ad I. Corinth. X.

ris in suum irruissent exitium, ea Magistratum, atque Ecclesiam lucrifacere posse, nullus dubitarim. Nolo hic ea, quae iam *capite priore* §. XVIII. hac de re posita sunt, recouere. Illud solum hic obseruatum uelim, multos utique malos, metu, gratia, auctoritate etc. induci, ne huic, uel illi uitio nuncium mittant. V. g. Est qui poculis alioqui non usque adeo capitur: interim, ne socios, amicos, aut Patronos offendat, mauult uinum, aut alium liquorem, ultra modum infundere, quam gratiam eorum profundere. Hic quidem talis uerbi Diuini uirtute, hoc sese liberare deberet metu, aut praeiudicio, ut hominum potius odium, inuidiam, ac persecutiones, quam proaeretice peccando, Numinis Ipsius, in se prouocare iram mallet. Veruntamen, quum uirtutem Verbi Diuini intra sese nondum admittat, ab externis mediis paedagogicis, obstacula illa remouentibus, incipiendum erit. Quis itaque non uidet per Disciplinam Ecclesiasticam, illos multum iuari posse? Erenim, si e. g. ebrietas seuerius Christianis interdicitur, et, qui eam omittere nolunt, a Communione Ecclesiae, usque dum poenitentiam agant, arceantur, reliqui non tam proterue sustinebunt alios ad hoc uitium pellicere, nec etiam alii temere imitabuntur. Sint alii, maneantque hypocritae, si nolint serio ad seriam sese perducere emendationem, sufficit, quosdam hac ratione a securitate auocari, ac propius ad salutis uiam perducere. Quod si Censura, siue Politica, siue Ecclesiastica, ipsos eiusmodi impios tangit, multi quidem, fateor, ea sese ad ueram poenitentiam excitari haud sinunt, sed hypocriticam tantum deinceps agunt uitam, quosdam tamen ex illa seueritate multum commodi coepisse, experientia testatur. Quemadmodum enim haec *DEI censura est, ut, qui beneficiis non intelligitur, uel plagis intel-*

ligatur, iuxta Cyprianum, (a) et obseruante Gersone, Nonnulli, sunt, qui nunquam legunt in Conscientiae libro, nisi prius sentiant uirgam in dorso; ita sane nonnulli hanc uirgam correptionis, atque castigationis in dorso sentientes, in conscientiae libro legere incepere, ac ea Censura diuina, per Eius Ministros ordinarios, in se exercita, DEVM intelligere didicerunt, ac ita a uia securitatis, in uiam Salutis reducti sunt. Iam uero, dummodo unus, et alter hac ratione, Christo lucrifiat, ut ut reliqui ad hypocrisin prolabantur; melius tamen erit, ac si omnes isti in sua perirent securitate.

§. VIII. Sed nec ad illos, qui a Magistratu Christiano hoc pacto hypocritae redduntur, nullum omnino beneficium redundat. Non afferam, eos hac ratione uel a sceleribus pluribus, atque atrocibus, quae alioquin eo securius perpetrassent, adeoque a maioribus quoque suppliciis infernalibus praeseruari. *Seruat enim, ceu loquitur B. Scherzerus, (b) Iustitia Diuina exacte proportionem delictorum, atque suppliciorum.* Nec, quod eodem redit, urgebo, tanto lenius fore eorum iudicium, quanto pauciores sua improbitate, et prauis exemplis secum perdiderrunt. Nam, quod damnatos maxime excrucient ea peccata, quae aliis seduxerunt, ac ad eadem irritarunt, damnati illius epulonis intercessio pro fratribus corruptis, apud *Lucam (c)* satis docere potest. Quin, his missis, contendo primo, certum esse illud *Fabii Quintil. (d)* Prodit se, quamlibet custodiarur simulatorio. Sique uel maxime aliquandiu lateat, non potest tamen simulatorio esse diuturnum, teste *Tullio*, cui assentitur *Sulpicius, (e)* quum scribit: *Non diu mali boni sunt.* Occulent itaque ad tempus,

(a) Tract. 1. (b) In System. p. 658. (c) Capit. XVI. 27. 28. (d) Lib. XI. 2. (e) In Histor. Sacr. Lib. I.

tempus, eiusmodi homines, quantum possunt, cordis sui fallacias, internas puto cupiditates, et ipsa externa scelera, aliquando tamen uenient in lucem, eosque, opinione citius, aliis prodent. Hos uero, ubi legitima uiget Disciplina, obiurgatio, primum priuata, (quem ordinem Seneca (a) ipse obseruari cupit,) deinde, si haec non attendatur, publica emendare tentabit. Quum contra, ubi, neglecta Disciplina accuratiore, homines suae ipsorum uoluntati ac securitate relinquuntur, peccatis plane mergantur, iuxta illud: *O consuetudo peccandi! quam habes iucunditatem in improbis et audacibus! quam poena abfuit, et licentia consecuta est;* quo pacto prorsus Athei tandem euadunt, qui excusso omni DEI timore, iudicii, inferni, Diabolorum, omnes Ministrorum Verbi adhortationes ludibrio habent, et desperabundi denique ex hac uita migrant in infernum. Hanc enim ad Atheismum rectam esse uiam, atque ex securitate ista Epicurea, seu Atheismo practico, tandem theoreticum ipsum pronascei, Viri Docti, atque Prudentes iam dudum obseruauerunt. Confer. Richard. Bentley, (b) Blasius Pascalis, (c) Samuel Parckerus (d) Antonius Reuserus, (e) B. Spizelius, (f) ac alii, quos citatos uide apud Dn. D. Buddeum, (g) quibus addi meretur eruditiss. Iacobus Thomafus. (h) Haec de hypocritis crassioribus.

I 3

§. IX.

(a) Lib. I. de Ira cap. 16. (b) In Concion. de stultitia atque irrationabil. Atheismi, quae ex Anglic. in latin. uersae prodire Berolini A. 1696. (c) In den Gedanken von der Religion, ex Gallic. in Germ. translar. Augspurg 1710. (d) In Disput. de DEO ac Prouident. (e) In Dissert. Epistol. de origine, progressu, ac incrementis Atheismi. (f) In Scrutinio Atheismi Historico-Aetelogico. (g) In Institut. Theol. Moral. part. II. cap. III. Sect. I. §. XVIII. in not. *, p. m. 392. (h) In praefation. quas olim Disp. suis singul. praefixit, quae uero iunctim prodire Lipsiae 1681. p. 65.

§. IX. Quod secundo attinet *subtiles*, si qui subditorum Christianorum per Disciplinam seueriorem, a Magistratu Christiano, tales ex accidenti, redduntur, ut e. g. saltem ex metu quodam seruili, ne poenas luere, aut coram coetu Ecclesiastico corripri teneantur; a peccatis crassioribus, quoad per nature uires possunt, sibi moderari studeant; hos iterum tanto Discrimini haud expositos esse, ac securos, *quorum animus, quo plus illis indulgetur, eo corruptior euadit*, ut *Seneca* (a) loquitur, ita ut facile, ceu dixi, in Atheismum prolabantur; nullus asserere dubito. Dabo exemplum, quod magnam huic negotio lucem affundere poterit. Sunt u. g. pueri petulantes, quorum aliqui a Parentibus nimium indulgetur. Iam priores quod spectat, hi, ubi uel ipsi, ob suam petulantiam, una, alteraue uice, seuerius fuerint castigati, uel in fratribus saltem malitiam grauius animaduersam uiderint, a petulantia sua tandem desistunt, non quidem ex odio mali, aut filiali amore, sed ex mere seruili timore, atque castigationis metu. Operatur uero interim iste metus seruilis hoc, ut a petulantia sibi moderari assuescant, atque adeo maioribus uitiis non implicentur, ita, ut prudenti dein educatione, ubi rationis usum attigerint, aut in eo profecerint, seruilis iste metus in illis sensim extirpari, ac uerus contra timor, atque amor filialis, tam erga Parentes naturales, tum maxime erga Patrem Coelestem spiritualis, illis implantari possit. Ex altera uero parte, ubi Parentes impii, omnem suis liberis permittunt petulantiam, et eis nullum, ferulae parcendo, timorem incutiunt, sed securos reddunt, ita, ut nec filialem, nec seruilem metum habentes, quicquid uolunt, impudenter perpetrent, adeoque toti uitiis imbuantur, quae una cum ipsis quoque

(a) Lib. II. d. Ira cap. 25.

quoque adolescent: hi, ubi ad usum rationis peruenerint, uitii quum iam asuerti sint, nullas amplius admittent adhortationes salutare, sed obdurati in sua malitia, in omne nefas labentur, ac securi peribunt, nisi seueriori, de qua iam ago, Disciplina, mox ab initio, adhuc fuerint reuocati. Iam pono, esse quosdam, qui ex metu tantum seruili, malis abstinere, ne Censuram incurrant, hic tamen seruilis metus illos minimum eo perducere ualebit, ut maiori cura, sibi a grauioribus peccatis cauere discant, Conscientiaeque dictamen minus negligent. Vnde prudenti deinceps Ministrorum Verbi Diuini institutione, atque adhortatione, quae hoc felicior esse poterit, quo paucioribus obstaculis impeditur, ad ueram tandem perducunt poterunt poenitentiam, atque Pietatem, ita, ut per Gratiā, ex alio dein fonte, amore scilicet. atque timore DEI filiali, internas quoque cupiditates compescere norint. Ponamus uero hominem securum, uitii plane immersum, et obrutum; hic monitionibus, ut ut grauioribus, non auscultabit, ac metu seruili, ac filiali insuper habito, in quaeuis scelera ruet, ac tandem de sua emendatione, atque Salute desperabundus, magis magisque in peccatis obdurabitur, aeternumque adeo peribit, quum eiusmodi homines uel in fine plerumque tandem Athei euadant. Nachdenklich ist es, inquit. *Iean d' Espagne* (a) daß abergläubische (Heuchler) wie Nicodemus, und andere, zu Christo bekehrt worden. Wir lesen aber nirgends, daß jemahls einer von solchen Verläugnern Gottes, zur Würde eines Jüngers gelangt wäre. Nicht geschah es aus Mangel der Gütigkeit und Macht Gottes. Der Herr bezeuget hiermit, daß er mehr Abscheu trage an einem Verläugner, als an einem Abergläubigen (Heuchler). Et si uel

(a) In Anmerkungen über die X. Gebot. p. 49.

uel maxime hoc postremum non sequitur, certum tamen manet, quod *B. Dillberus* alicubi scriptum reliquit: *Mali amant sua mala, quod malorum ultimum est. Tunc enim consummata est Pietas, ubi turpia non tantum delectant, sed et patrata placent: ibi desinit esse remedii locus, ubi quae antea uitia fuerunt, mores fiunt.*

§. X. Quod ad illos subtiles, hypocritas spectat, qui propriae innocentiae opinione inflati sunt; tales quidem, per Disciplinae accuratioris obseruationem reddi posse, haud abnuerim: Interim et illud affirmo, quod iis quoque facilius consuli possit, quam quidem securis, atque Epicureis. Loquor uero hic, quod monendum censeo, de hypocritis in Ecclesia Orthodoxa, quae puram tenet Doctrinam, de Iustificatione peccatoris coram DEO, Bonorum operum debito, ac imperfectione, Legis contra summa perfectione, intimam quoque cordis Sanctitatem, et ab omni prorsus praua concupiscentia immunem, requirente. Alias enim, ubi haec corrumpuntur a Doctoribus, aut contraria docentur, bene sperare nil possumus. Fingamus uero eiusmodi hominem, externae Pietatis, aut sanctimoniae opinione inflatum; hic primo cultum publicum non negligit, sed concionibus singulis frequens intererit, sedulumque auditorem Verbi Diuini se praestabit, adeoque media, quibus tumor iste excuti possit, non contemnit, aut reiicit. Fieri E. potest, ut per uiuam, et seriam, summae suae miseriae, corruptionis, ac imperfectionis propositionem, ac abominationis diuinae, qua istam spiritualem superbiam abominatur, demonstrationem, sensim, paulatimque ab isto uitio auocetur, donec per ueram poenitentiam, abnegationi sui ipsius, melius studere didicerit. Ponamus uero etiam Epicureum, et omnino securum hominem, qui obrutus uitiiis innumeris, in peccatis quasi occalluit, eaque de

de causa, cultum Diuinum negligit, sacrasque Conciones aut nunquam, aut saltem raro, et sine bona intentione, et attentione frequentat, hic per suam securitatem, uel se ipsum mediis conuersionis plane priuat, et tantum ludibrio habet, concionesque legales, atque epanorthoticas pro inanibus clamoribus reputat: uel uirtutem saltem Verbi Diuini peccatis nefandis sufflaminat, atque supprimit. Eo enim callo cor eius sensim obducitur, ut S. Spiritus increpationes haud amplius admittat. Nam, *qui peccare senescit*, inquit *Seneca* (a) *corrigi non uult*. Vel, ut S. Spiritus (b) exprimit: *Misereamur impio, et non discet iustitiam facere*, quod *B. Lutherus* in *Paruaris* reddidit: *Wenn denen Gottlosen gleich Gnade angeboten wird, so lernen sie doch nicht Gerechtigkeit*. Confer *Monseigneur Bernhard*. (c) Deinde tales hypocritae, correptiones, ac adhortationes priuatas Ministrorum Verbi Diuini, non omnino auersantur, aut declinant, ut adeo prudenti eorum, et neruosa allocutione, ad sanitatem reduci queant. Securi contra eiusmodo colloquia summo studio subterfugiunt, iuxta illud: *Non mihi sis seruus, Medicus, Propbeta, sacerdos*, ac ita sese magis magisque obdurationis discrimini subiiciunt. Conferantur *Tilloson*, (d) atque *B. Spizelius*. (e).

§. XI. Denique quoad hypocritas *subtilissimos*, supra iam concessa non reuocabo, sed lubentissime fateor, posse nonnullos, alioquin etiam uiros sanctissimos, huma-

K

nis

(a) Epistol. XXIIIX. (b) Apud Esaiam. XXVI. 10. (c) De la repentance tarditiue. (d) En sermons sur diuerses matieres importantes, etc. traduit de L'Anglois par Iean Barbeyrac. Tom. II. sermon X. (e) In selectis Doctor. Vet. Scriptorumque Ecclesiast. de uera, sinceraque ad DEVM conuers. Monum. et Documentis, annexis Eius Literato Feliciss.

nis tamen infirmitatibus adhuc obnoxios, occasione Disciplinae accuratioris, irritari, ut in legitima quoque censura, pravis suis affectibus, inscii etiam, nonnunquam indulgeant, ac carnalem, qui sese Diuino immiscet, Zelum, ab illo non satis distinguant. Sed quid tum? De Magistratu quidem Politico, ad quem Administratio Disciplinae exterioris proprie spectat, nunc non agam, quum infra de hoc speciatim tractandi, occasio sese datura sit: de Ministris itaque Ecclesiae solum hic dicam. Discere autem cupio: utrum maius Ecclesiae damnum inferat? adulatione illorum, atque assentatio affectata, an seueritas in peccatis redarguendis, et coërcendis adhibita, ut ut effectus prauis non expers? Nemo profecto, aequus rerum aestimator, negare poterit: prius in Ministro Ecclesiae uitium utique longe damnosius esse Ecclesiae, quam posterius. Ne enim dicam de ipsius discrimine Salutis, cui, si in Disciplina remissior, ac decet, fuerit, alioqui sese exponit, quia, *esit*, ut *Prosper ait*, *Pastor sancte uiuar, perditte autem uiuentes non arguar, cum omnibus, eo tacente, pereun-ribus peribit*. Quum e contrario peccata ista infirmitatis, si forte suis affectibus indulserit, tantum ei Salutis periculum creare haud possint: Illud saltem *Bellarmini* iudicium hac de re, non improbandum, urgebo, quum scribit: *Non esset tanta facilitas peccandi, si non esset tanta facilitas absoluendi: ueniunt enusti peccatis, sine signo doloris, et nos dicimus absoluo te, O inconsiderati Iudices! dispensatores sumus, non Domini, causam DEI agimus, non nostram, DEI offensas remittimus, non nostras*. Ut ergo quid carnalis Zeli nonnunquam interueniat, peccatoribus tamen scandalosis, publice correptis, id nihil officit, et potest tum certo quodam respectu hic locum habere illud *D. Pauli* (a) *Εἶπε γὰρ ἐξέστημεν; θεῶν*. *Demum thun wir zu viel, (fahren scharff*

(a) 2. Coriuth. V. 13.

scharff mit den Leuthen) so thun wirs Gott, (so dienen wir Gott daran.) Denique id unum adhuc notatum uelim, fuisse dubio procul in V. T. quosdam ex Ministris Ecclesiae ordinariis, Sacerdotibus nimirum, qui hoc in negotio suis quoque cupiditatibus prauis aliquid indulsere, quos tamen a DEO ideo per extraordinarios suos Ministros, Prophetas, perinde increpitos fuisse, nunquam legi, ut illos, qui assentationibus suis, populum seduxerunt. Vid. *Georg. Friderich Graeter.* (a)

§. XII. Ast pergendum est ad Rempublicam, cui et ipsi seueriorem Disciplinam prodesse, supra asseueravi, quod iam demonstrandum erit. Quum uero supra duplicem constituerim Disciplinam, Ciuilem aliam, aliam Ecclesiasticam, per quas utrasque hypocritas reddi posse, ibidem ex iam dictis patet, de utraquaque assertum meum probabo. Ac primo quidem ex eo, quod, omnibus, qui Prudentiores sunt, fatentibus, nimiam morum atque Disciplinae laxationem, ipsius quoque Ciuitatis aut Reipublicae ruina iugiter sequitur. *Nonne, quaerit Saluianus, (b) eadem et rerum ruina pariter, et morum? Vel sicut paulo infra (c) uerba eius fluunt: Miramur, inquit, post omnia ista (scelera scil. impune commissa) si ruina rerum suarum possi sunt, (Treuiri nempe. de quibus sermo) qui tanto ante mentibus corruerunt. Nemo itaque urbem illam in excidio suo periisse credat. Vbi enim talia acta sunt, (scil. impune) prius iam perierant, ac periere.* Propter hypocrisin uero quorundam, uel etiam plurium, qui tanta scelera, tanta certe scandala, quanta alii, non commiserunt, quaeque a Magistratu, et Ministris Ecclesiae, non

K 2

per

(a) In Anania fide uano, oder den falschen Heuschelherken, cap. XVII. p. 123. seq. (b) De Gubernatione DEL. Lib. VI. p. m. 228. (c) p. 229.

per incuriam, aut negligentiam, sed per ignorantiam, puniti non sunt; propter horum, inquam, hypocrisisin haud facile quisquam dixerit, quandam Rempubicam esse euersam. Immo, ubi Magistratus Politicus, atque Ministri Ecclesiae, suum fecere officium, ita, ut homines securos a sua seueritate reducerint, ac plures ad sanam mentem reuocarint, licet aliqui perseuerarint in hypocrisis, DEVM, regna, propemodum collapsa, denuo erexisse, quorundam piorum Regum Iudaicorum historiae loquuntur. Non male de hoc argumento, ut ut Gentilis, *Lampridius*, (a) *Disciplina*, inquit, *Maiorum Rempubicam tenet: quae si labatur, et nomen Romanum, et Imperium admittemus*. Nam et illud certum est, quod internum quoque exitium eiusmodi homines improbi ac securi, Reipublicae aut Ciuitati alicui contrahant; ubi ad extremum quaeuis scelera audacter perpetrare non dubitant, quibus societas ciuilis non potest non concuti, aut omnino conuelli. Agnouere hoc quoque Politici, ut uocantur, quod homines perditum ac profligatum Reipublicae pestem, tandemque exitium ipsum accelerare soleant, ideoque coercendos, aut plane tollendos, semper iudicant. Nec aliter, si Theologice consideramus, de re possumus iudicare. Talibus enim atrocibus delictis, iisque nec a Magistratu, nec a Ministris Ecclesiae punitis, prouocatur ira DEI, sequiturque desertio, ac induratio hominis. Sic enim, dicente *B. Franzio*, *peccata, quae ex peccatis oriuntur, non modo peccata sunt, sed et poenae peccatorum*. Adeoque eiusmodi homines Epicurei atque securi, primum ipsi Rempubicam aut Ciuitatem perturbant. Hypocritae uero, ubi quidem eorum plures sunt numero, quam pii, Rempubicam magnopere non turbant. Quia enim metuunt poenas,

(a) In Vita Alexandri.

nas, quas a peccantibus repeti norunt, sibi temperant a culpa, ne rei fiant Poenae. Tum uero, DEVS Benignus totam Rempublicam, quae sese maleferiatis hominibus, pro uirili opposuit, eiusmodi calamitatibus internis persequi haud solet; sed nouit, pro sua ineffabili Sapientia, hypocrisis in indiuiduo, uariis calamitatibus, atque correctionibus domesticis, quas uocant, punire, eosque suae hypocrisis his ipsis arguere.

§. XIII. Liceat nunc ad specialiora descendere, et haec tenus disputata exemplis illustrare. Extat u. g. seuerum aduersus scortationes edictum. Non omnes quidem, fateor, eo se patiuntur induci, ut omnem uel exteriorem, nedum interiorem, impuritatem, euitent, quin potius cupiditatibus suis, clanculum saltem, indulgebunt. Interim utique magna Reipublicae commoda ex eo sunt accessura. Primo namque certum est, quosdam minimum, ab illo uitio reuocari, plures uero, qui ista lue nondum infecti sunt, feliciter praeseruari. Sed dices, quid haec ad Rempublicam? Respondetur, omnino multum. Quot enim, ut ab hoc incipiam, ciues tali modo seruantur, qui deinceps utilem Reipublicae operam, bello, et Pace, domi, forisque, praestare possunt, qui uero, si absque illo edicto, suis relictis libidinibus fuissent, quam primum periissent? Quam multi per scortorum, ac meretricum illicia, ab hac, illaue excolenda, et exercenda arte auocantur, qui alioquin, per felicitatem ingeniorum, in ea ad excellentiorem profectuum gradum ascendere potuissent. Ab illis igitur si retrahantur, efficitur, ut nec artificibus careat, nec inutilibus terrae ponderibus laboret, Respublica. Multi quoque, ob furtiuos, quos potiri iam sperant, amores, et, ut ab oneribus, quae uocant, matrimonialibus, atque ciuilibus immunes sint, animo a coniugio alieni, talibus edictis, ad honestatem matrimonii reuocantur. Coguntur etiam

foeminae tali edicto, cogitationes de quaestu, corpore faciendo, siquidem labore uitam sustentare possunt, abii- cere. Nec Respublica tot spuris, qui plerumque alios liberos petulantia, malitiaque, uincunt, oneratur. Quin- immo hi ipsi, qui furtiuis antea se amoribus dederant, metu, ne aliquando palam fiant, inducti, ab eisdem inci- piunt abstinere, et, si se continere non possunt, consilia de ineundo matrimonio capere. Quae omnia pluribus nunc comprobari exemplis possent, si instituti ratio per- mitteret. Vid. *D. Marbachius*, (a)

§. XIV. Ex Ecclesiastica tamen, quin unum adiciam, impetrare non possum: Petatum est a tenacitate et auaritia. Haec quidem alioquin ab animaduersione ciuile immunis esse solet, interim tamen eam Reipublicae multum noxae afferre, ueteres iuxta, et recentiores Philosophi, uno ore omnes affirmant. *Paulus Apostolus* id ipsum graui ac prae- gnante Sententia confirmat: (b) *Auaritia, inquit, est radix malorum omnium.* Addo illud *Senecae*: (c) *In nullum auarus bonus, in se pessimus.* Quod utrumque facile nego- tio poterit ostendi. Quem enim, quod posterius attinet, fugit, eiusmodi homines tenaces, atque auaros, suas, quas summo labore atque multis uigiliis corraserunt, ac cura ha- ctenus irrequieta conseruare laborant, opes ita deperire, ut amoris sui ipsius eo obliuiscantur, ac sui ipsi, ne quidem uictum ac amictum necessarium exinde parare audeant, et ita se saepius sua sordida parcitate, ac curis nimis ante tem- pus quasi enecare; et licet aliquando, sumtis medicamen- tis, producere uitam possint, per sorditiem tamen adhibere non sustinere, adeoque immatura morte Rempublicam ciue priuare; licet, quod alii monent, eiusmodi homines ad

(a) In Dissert. Inaugural. de DEO commissis §. XXX. p. 69. seq.

(b) 1. Timoth. VI. 10. (c) Epistol. CVIII.

ad praeclara quaeuis, et egregia plane quoque inepti sint, si spiritum etiam longum traherent. Quam iniurii sint erga alios, demonstratione haud indiget. Nihil dicam nunc de eo, quod eiusmodi avari homines non solum parce, sed etiam sordide saepius uiuant, tantum ne Magistratui illud, quod pro suis opibus ingentibus soluendum illis esset, tributum persolvere teneantur. Sed illud saltem urgebo, quod illi, dum etiam necessaria sibi ipsis denegant, ne obulum quidem ad conciuēs suos, nisi inuitissimi transmittunt. Quibus ipsi carere non possunt, pro uilissimo emunt, atque extorquent, quibus alii utuntur, maximo uendunt pretio; atque adeo commercia atque negotia ciuilia, quantum in se, non promouent, sed impediunt. Operariis mercedem pro labore aegre ac duriter soluunt, seruitiis quoque uel honoraria, uel ipsam debitam negant mercedem; idque adeo saepius infidele reddunt, ut furtim ea acquirere sustineant, et dein, artibus nefariis iam assueti, aliis quoque, ubi conducuntur, Dominis noxas pariter inferre non dubitent. Ne aliquid addam de usuris mordacibus, quibus alios non raro, et uel uiduas, exhauriunt. Vt ita certum sit illud *Leonis*: (a) *Nullum est in illo corde iustitiae uestigium, in quo sibi auaritia fecit habitaculum.* Quam iniqui denique erga miseros, atque pauperes sint, malo *Imocenrii*, (b) quam meis uerbis efferre: *Proximo*, inquit, *necessaria deriment*: dum miseris, atque egenis in Republica degentibus, uiduis, pupillis, senibus, ac labores iam ineptis, militibus pro Patria uulneratis, ac mutilatis, etc. aut nullam, aut minimum sordidam, praebent elemosynam, tum ubi hi ipsi ab eis quid expetunt, tum ubi Magistratus ad collectas recurrit, ita, ut pecuniae collectae, dum denuo illi nihil, aut parum conferunt, alendis

(a) Sermon. IX. (b) In de Condition. uilitat. human.

dis pauperibus non sufficiant. Vnde tot sequuntur furta, caedes, etc. Rempublicam conturbantes; Lacrymae pauperum ad coelum clamantium, qui alioquin pro Republica orare consueverunt. De litibus, super haereditate opulenta inter cognatos, ac conciuēs oriri solitis, nihil adiciam, sed illud modo notabo: cedere plerumque opes istas ingentes haeredibus, ut dicunt, subridentibus non solum, sed luxuriantibus etiam, in materiam, suam, quam spes, eas olim consequendi, in illis iam accendit, malitiam, atque luxuriam ulterius prosequendi, quod *Soluianus* (a) egregie deduxit. Ut adeo post eorum mortem Respublica plagas ab eis sibi inflictas saepius adhuc sentiat. Iam uero ubi hoc uitium per Censuram Ecclesiasticam grauius corripitur, multi profecto, eo, si non ex animo sincero, tamen hypocritico abstinebunt, ac externe interim se ita gerent, ut Respublica eorum opibus melius frui possit.

§. XV. Quantam uere denique utilitatem ipse *Magistratus Christianus*, ubi Ecclesiae, ac Reipublicae prospectum fuit, *sibi ipsi* polliceri queat, hactenus allata quodammodo declarant. Siquidem, teste Celeberrimo Oratore, *Buchnero*: (b) *Non separari Princeps atque Respublica possunt. Commoda utriusque arctissime sunt connexa.* Duplicem uero fructum offendo, quo Magistratus Christianus gaudere poterit, si suos subditos Christianos malit hypocritas, quam securos reddi. Vnus est Imperium magis tranquillum, ac Regimen felicius; alter, isque certior, si uel maxime prior non semper sequatur, tranquilla, quam hac ratione obtinet, Conscientia. De utroque pauca. Primum quod concernit, omnes, quotquot euolui Theologos, in articulo de bonis operibus, docere deprehendi: *Benignissimum*

(a) In suis libris contra Auaritiam. (b) In Orat. Acad. part. I. orat. IX. p. 176.

simum Numen solere opera, etiam externe tantum bona, uariis temporalibus bonis, atque donis, ex Gratia compensare, ita, ut, quo modestior quis, ac innocentior in Republica uixerit, eo maiori ab illo Gratia beetur in hoc mundo. Idem hoc de integris nationibus dici posse, nullam est dubium. Nam quo moratiores istae fuere, eo maiori felicitate, ac Pace usi sunt. Notus est locus *D. Augustini*, (a) quem *Rittersbusius* (b) citat; quo docet ex *Historiis*, quos *Romanorum mores*, et quam ob causam *Deus uerus*, in *Cuius Potestate sunt etiam regna terrena*, ad augendum imperium adiuuare dignatus sit. Sit *Saluianus* ipse, (c) *Euidenter*, inquit, *diuino munere approbabitur*, tam iustum tunc erga illos (*Romanos*) fuisse *Domini fauorem*, quam nunc erga nos iustam seueritatem: *Et tam dignum illud*, quod *Romanos tunc Deus auxilio suo extrulit*, quam nunc dignum esse, quod *puniuntur*. Locum tamen, in quo haec probarit, hodie in libris *Saluiani* non amplius extare, *Rittersbusius* (d) notauit. Res ipsa uero id loquitur, beatos fuisse *Magistratus*, quo ad ciues modeste uixerint. *Domini* enim, quoad *Iustitia*, *temperantia*, *misericordia*, aliaeque uirtutes *mofales*, si non inter omnes, plurimos tamen *florent*, *Magistratus*, tot *litibus componendis*, tot *uitiis castigandis*, tot *egenis alendis*, etc. non uexabantur, sed *curam omnem* in augenda *Reipublicae salute* collocare poterant. *Foris* autem, *Deo eoncedente*, uel *Pace fruebantur optata*, uel si *bello petebantur*, superiores *discedebant*. Sane, si e-uoluimus etiam *Sacras V. T. Historias*, reperiemus, eos *Reges*, qui *impietatem populi securam*, atque *impudentem*, quantum in illis fuit, *cohibere studuerunt*, licet maxima

L

pars

(a) In de Ciuit Dei Lib. V. cap. 12. (b) In Notis ad Saluianum p. 264. (c) Lib. VII. de Gubern. Dei p. m. 242. (d) L. cit p. m. 263.

pars hypocritice tantum, Virtutes morales coluerit, semper tranquille, ac feliciter regnasse. Nullus itaque dubito, quin Magistratus Christiani, ubi maliciosam securitatem, et petulantiam subditorum, serio coërcere studuerint, ut ut non omnes ad ueram, & seriam poenitentiam excitentur; hodiernum magnam Regimini suo benedictionem promittere possint. *Aufer impietatem de uultu Regis, et firmabitur Iustitia thronus eius, Rex sapientissimus (a)* dixit.

§. XVI. Et si uel maxime Magistratum Christianum, agrum Reipublicae, (ut cum *Volaterano (b)* loquar) colendi, extripando malas herbas, bonas serendo, studiosissimum, non semper sequatur Felicitas Regiminis tranquilli atque beati; quemadmodum bona terrena semper sub conditione Voluntatis Diuinae Sanctissimae, atque Sapientissimae, tantum sperare licet: suam tamen Ipsius Salutem certo certius obtinebit hac ratione, et in tempore fructum tranquillae Conscientiae reportabit. Quemadmodum enim certum est, Eum a Deo positum esse Custodem Legis Diuinae, ac Vindicem mali: ita sane grauis olim Deo reddenda erit ratio, ubi remissius, ac par erat, in suo fuerit munere obseruando. Videat itaque, ne in Eum quoque quadret illud *Leonis: (c)* *Magistratus, et Principes multam saepe nutriunt pestilentiam, dum necessariam dissimulant adhibere medicinam.* Alioquin enim et illud *Arnobii, (d)* sibi dictum putet: *Principes, non prohibendo, quae oportuerat prohiberi, crimen proprium faciunt.* Et ita tandem, iuxta *Diu. Crystostomum (e)* utpote, qui cum possit ab impietate reuocare, tamen uel ob pigritiam, uel ob timiditatem id facere non uult, simile cum poena (cum iis, qui

(a) Proverb. XXV. §. confer. cap. XVI. 12. (b) Lib. XXIX. (c) Epistol. II. (d) Libro. II. aduers. Gentes, (e) Orat. V. contra Iudaeos.

qui impie egere impune) *plectetur*. Vid. *Rittershusius* (a), qui etiam (b) obseruat, quod in Legibus Cod. etiam ipsi Rectores Prouinciarum, seu Praesides, et Iudices, qui scelera uindicare dissimulant, aut negligunt, poenis subiiciantur. *Add. Grotius*. (c) Quinimmo experientia testatur, DEVM saepius, etiam in hoc tempore, in Ipsos iuxta, ac malos, et securos eorum subditos, grauiter animaduertisse, praesertim, ubi Superiores fuerint, qui alium non agnouere Iudicem. Qui ergo tranquilla Conscientia gaudere possit Magistratus Christianus, qui tantum in extirpanda subditorum malitia, zelum non adhibet, quantum quidem debebat, non uideo. Si uero malitiae, securitati, atque audaciae, quantum in se est, obuiam ire, totis uiribus adlaborauit, si uel maxima quoque pars subditorum, ob peruersitatem ingenii, in hypocrisisin prolabantur, suo tamen quum satisfecerit officio, bonam seruabit Conscientiam. *Culpa enim, ait Cicero, (d) nulla est, quum id, quod ab homine non potuit praestari, euenit.* Nec est, cur dubitet, hac ratione quosdam, si non liberatos, tamen praeseruatatos fuisse a pernicie, ut adeo non omni destituatur fructu.

§:XVII. Meam de coetero sententiam Magistratus, ac Principes hodie ipsa praxi confirmant. Hi enim ieiunia publica, iuxta solennes supplicationes statutis temporibus, aut extra ordinem, celebranda indicunt. Norunt tamen, minimam coetus Christiani partem, ea, qua decet ratione, etiam externa, edictis illis obtemperare. Interim tamen ea promulgare non cessant, spe certa ducti, fore saltem nonnullos, qui hac ratione ad poenitentiam excitentur, uel etiam in bono confirmentur, et, ut suum faciant

L 2

(a) L. cit. p. m. 323. (b) p. 324. (c) De Iure B. ac P. lib. II. cap. XXI. §. II. p. 569. 579. (d) Tuscul. II.

ciant officium, adigantur. Possem quoque prouocare ad Confessionem priuatam, quam ut idoneum, homines ad S. Eucharistiam praeparandi medium, hucusque retinendam esse Principes, et Ministri Euangelici merito statuerunt, licet finem suum non semper sint consecuti. Verum ad alia mihi properandum esse intelligo. Enim uero multa mihi obiectum iri praeuideo, de *incommodis*, quae ex mea sententia uel ad *Ecclesiam*, uel ad *Rempubicam*, uel denique ad *Magistratum Ipsum redundatura* sint: *Ecclesiae* denuo uel *in genere*, uel *intuitu huius*, aut *illius membri*, subnasci posset periculum.

§. XIIX. *In genere* quidem Ecclesiae mea aduersari uidetur sententia, (1.) ex eo capite, quod hypocrisis Illi multo pestilentior sit, ac quidem securitas, quod et *Bernbardus* (a) agnouerit, ita scribens: *Serpis bodie putrida tabes, hypocrisis, per omne corpus Ecclesia, et quo latius, eo desperatius, eoque periculosus, quo interius. Nam si insurgeret apertus, haereticus, mitteretur foras, et arcesseret; si uolentis inimicus, absconderet se forsan ab eo. Nunc uero quem eiiciet, aut a quo abscondet se? Omnes amici, et omnes inimici, omnes necessarii, et omnes aduersarii, etc.* (2.) Ex ea ratione, quia mutationem consuetudinis, tam diu toleratae, inferat. *Omnis uero mutatio consuetudinis, etiam quae utilitate iuuat, nouitate perturbat, teste Augustino.* (b) (3.) Denique, quia *Christus* (c) aperte docuerit, *zizania*, seu *scandala omnia*, ac eos, qui *iniquitatem faciunt, in finem mundi denum ad poenas infernalis supplicii aeternas*, colligendos esse ab *Angelis sanctis*, non uero hoc in tempore a *Ministris Christi*, ne uacuum *zizaniis triticum euellatur*: quum e contrario mea opinio *Magistratui Christiano* suadere uideatur, ut *zizania*

(a) In quodam Sermone super Cantic. (b) Epistol. CXXVIII. ad Ianuar. (c) Matth. XIII. 24. seq.

nia hoc in tempore euellat, et colligat. Respondeo autem ad primum: Securitatem multis nominibus magis exitiosam esse Ecclesiae, quam hypocrisin, id iam supra me satis comprobasse confido. Quod uero urgetur, hypocrisin malum esse occultum, et clam serpere, unde Ecclesia eiusmodi homines, neque excludere, neque, quod maius est, ab illis ita sibi cauere ualeat, quin plures membrorum Eius ab iis inficiantur; ad haec respondeo: hypocritas quidem, qua tales, ex Ecclesia eiici utique non posse. Verum primo uidetur Bernhardus locutus non tam de his, quam latius ita dictis, seu hypocritis crassis, qui quidem tunc temporis, etiam non excluderentur ab Ecclesia, ex errore scilicet Romanae Ecclesiae tunc fere iam inuolito; neminem nimirum, nisi haeticum debere foras mitti ab Ecclesia, in quo tamen negotio S. literae longe aliter nos erudiunt, ut adeo isti tibi serpenti, hypocriseos scilicet crassae, seu securitatis improbae, modo Superiores uelint, hodie satis obuiam iri queat. Deinde uero supra iam monui, hypocritas, proprie quoque ita dictos, suam adeo palliare hypocrisin haud posse, quin haud raro se prodant, aut ab aliis, Prudentioribus saltem, cognoscantur; imprimis, ubi, (quod hic addo) praxis primitivae Ecclesiae restituatur, ita, ut constituantur morum Censores, Episcopi, seu Superintendentes quidam, qui solum uitam Christianorum accuratius obseruarent. Ut adeo non uideam, quomodo haec tabes putrida tam late serpere possit, quam quidem *scandalorum*, aperta malitiae, quibus, ut *Saluianus* (a) loquitur, *in gebennam trobimur*. Quoad alterum, metuendas scilicet ob disciplinae rigorem, in Ecclesia turbas, uidentur utique multi graues, et cordati Viri illo scrupulo laborare. Verum enim uero, tantum

L 3

pro-

(a) L. cit. Lib. III, p. m. 88.

perfecto non subest periculum, quantum vulgo timetur. Dummodò enim coniunctis animis, uiribus, et consiliis, a Magistratu, et Ministerio Ecclesiastico, Disciplina ita reuocetur, ut non in momento, ab extremo ad extremum, a nimia laxitate, ad nimium rigorem prolabamur; sed sensim, paulatimque, et uelut per gradus procedatur, tum omnes, tempore procedente, assuescent disciplinae, et ante accuratissimam quoque Disciplinam restituant, quam id agi, ut restituatur, nonnulli intelligent. Sunt, qui metuunt, ne aliqui per impatientiam Disciplinae, ad aduersarios transeant. Sed enim aduersi nobis coetus non omnis omnino Disciplinae quoque expertes sunt. Immo aliquando uidentur, eam multo sollicitius, quam Noster, exercere. Ea igitur mente, ut disciplinam omnem effugiat, non temere quisquam Ecclesiam Nostram deseret. Deinceps accuratior Disciplina inuicem alios ad Nostram inuitabit, quum nemo non coetui, qui Disciplinae studet, quam ei, qui negligit, addictus esse malit. De Disciplina Ciuili aliquid addere opus haud erit, quum huic nemo, cuiuscunque sit Religionis, subducere se possit. Quod uero denique tertium concernit, ex *Formula Concordiae*, (a) notum est, per agrum, in quo zizania iuxta bonum triticum, pronascitur, non Ecclesiam, sed mundum intelligendum esse, adeoque Christum nil aliud dicere uoluisse, quam suos Ministros Ecclesiae non debere igne, ferroque, in impios, atque haereticos saeuire: coeterum nec Auctoritatem Magistratus, nec separationem malorum a coetu sancto, aut coërcitionem, atque correptionem ab Ecclesia instituendam, quam alibi Ipse praescripsit, his interdicta uoluit uerbis. Periculum, quod allegatur, nempe, eradicatio, ut ita dicam, bonorum, quum

(a) In Apologia, Articul. VII. p. m. 217.

quum uis armata desit Ministris Ecclesiae, maximopere extimescenda haud erit. Nemo quippe, si uel praeter meritum, grauius corripetur a Ministris Ecclesiae, ut hoc non tam facile sit euenturum, damnum aliquod inde capiet, quin potius innocentia eius clarior elucescet, uel patientia, tentatione exercitata, probatior inuenietur.

§. XIX. Verum haec ad specialiores iam me deducunt obiectiones, quae meae sententiae, *ratione huius, illiusue Ecclesiae membri*, opponi posse uidentur. Sunt autem, ut constat, membra Ecclesiae alia *uera*, et *bona*, alia *falsa et mala*. Ad illa quod attinet, mihi, ut ea taceam, quae *praeced.* §. paucis iam remouui, obuerti porro posset: sententiam meam, quibusdam, ueris quidem, infirmioribus tamen, Ecclesiae membris haud congruere. Discrimen enim uirtuosos inter, et uitiosos, seu malos, per eam prorsus tolli; siquidem omnes ex aequo, per Disciplinam seueriorem, ita externe uiuere cogantur, ut uitiis abstineant, ac opera contra Virtutis, externa saltem, sectentur. Hac uero ratione, multos, qui alioqui uerae student Virtuti, ab ea deterreri, eo quod hypocritae illis deinde pares censi soleant. Respondetur: Nequaquam tollitur hoc modo discrimen, uirtuosos inter, atque malitiosos intercedens. Illi quippe, qui tantum metu Discipline, a uitiis sibi temperant, aut ea saltem occultant, ac quaedam Virtutis simulacra in se ostendere satagunt, tantum se fingere probos haud poterunt, quin se minime uirtuosos esse, haud raro satis in se ostendant. Nam, ut taceam continuum (temporarius enim et bonos nunquam uexare solet,) languorem ad bonum, u. g. ad libenter, atque ardentem audiendum, legendumue Verbum Dei, illud etiam die, nocteque meditandum, atque sibi applicandum; ad preces Deo coram indefessas effundendas, Eique laudes decantandas; ad hilariter exequenda opera

opera misericordiae atque amoris; ad patienter perferendas uarii generis calamitates; ad serio compescendos prauos affectus naturales, u. g. irae praecipitis, etc. ad quotidianam mortis meditationem, ac praeparationem ad eam etc. quem languorem certe haud perpetuo occurrere poterunt: ex eorum operibus reliquis, dictis, ac factis, statim apparebit, eos Virtutem saltem simulare, longe aliter uicturos, nisi Disciplina obstaret. Ambitiosa quippe captatio gloriae uanae, diuitiarum caducarum nimia cupiditas, uoluptatum terrestrium immodica sitis, atque faemes, inanis operum suorum atque sanctitatis suae iactatio, etc. quae omnia, ut ut non tam perspicue, ceu olim, in illis deprehendantur, mox tamen perspicui poterunt, ac notari. Hinc uerae Virtutis studiosi nullam habebunt causam, ut se ab ea amoueri patiantur, quum sufficientia adhuc, ueros a falsis discernendi Virtutis studiosos, super sint criteria. Vel, si homines tandem hoc quoque lateret discrimen, Deo tamen *καρδιογνώστη* optime notum erit, quod piis mentibus sufficere debet.

§. XX. Excipietur forsitan, imperitiores Christianos, qui ueram inter, ac mentitam Virtutem, accurate distinguere nesciant, hac ratione periculo cuidam seductionis exponi, quum ab eiusmodi hypocritarum familiaritate cauere sibi non queant, ut a communiōne manifesto improborum. Fieri enim posse, ut hypocritis aliquid mali perpetrare conspiciant, quod illi ipsi dein committere non dubitant, eo quod malum esse haud credant, quia ab eiusmodi hominibus, hypocritis nimirum, qui magnam prae se ferunt sanctitatem, et de quibus mali quid praesumere haud liceat, peractum sit. Quod alioquin, si ab aperte impiis committi uidissent, non tam facile imitati fuissent. Respondetur: Docendi sunt sedulo omnes, ex Verbo Dei, quid bonum, quid malum sit,

fit, ut deinde, si quem quid agere uideant, ad hanc normam illud explorare possint, atque dispicere, num imitandum sit, nec ne? Si uero haec addiscere nolint, sibi met ipsis culpam seductionis impudent. Immo ob hanc affectatam ignorantiam, grauius redarguendi sunt. Nullum enim hic locum habet exemptio, aut excusatio infirmitatis, exiguae capacitatis, aut imbecillis intellectus, quum hae Veritates practicae adeo subtiles non sint, sed planae atque perspicuae. Deinde uero commendandae sunt illis preces ardentiores, quibus Deum orent, ut hic, quum ipsi, per se, sibi satis cauere haud possint a seductione, ab illa defendere eos uelit, eisque suum largiri S. Spiritum, qui illos in *omnem* Veritatem deducat, ac eorum uoluntatem iuxta, et intellectum, per eam sanctificet. Tertio, si quem forsan hypocritam, peccantem, ex errore, in aliquo secuti fuerint, non deerunt prudentiores Christiani, qui eiusmodi errantes fraterne corripiant, atque spiritu lenitatis, et mansuetudinis, in uiam reducant. Haec enim correctio fraterna, quae iam a ueris quoque Christianis pro statu praesenti obseruari solet, tunc eo liberius exercbitur.

§. XXI. Instare uero quis possit, monendo, *malis* tamen, *falsisque Ecclesiae membris*, hanc minime conducere methodum procedendi. Neque uero nunc repetam officias *Arnoldi*, qui Disciplinam seueriorem, ex eo capite proscriptam uult ex Ecclesia, quod haud pauci eorum, quos alioqui lucrandi adhuc spes fuisset, illa irritati, atque exacerbati, a uia salutis quasi reiiciantur. Hae enim a Celeberr. *D. Febrio (a)* fatis superque iam dilutae sunt. Illud tamen mihi adhuc opponi posse uidentur:

M

(a) In Tract. saepius laudato.

tur: nonnullos impiorum, imperitiorum imprimis, quam uideant, externam adeo urgeri Disciplinam, facile in eam incidere posse opinionem, ac si Christianismus in externis potissimum constaret, ita, ut deinde a uera, atque interna conuersione retrahantur, adeoque non possint non euadere hypocritae, putantes, se suo satisfecisse officio, dummodo illa externa obseruassent. Verum ad hanc quoque obiectionem facilis est Responso. Praecones enim Verbi Diuini, eos longe aliter e S. Scriptura informabunt de his, dummodo prius externa ista uitia grauiora, crassissimae, atque malitiosae ignorantiae, pigritiae, atque incuriae, ex neglectu cultus publici, aut attentionis debitae, oriunda, item nimii uoluptatem amoris, excusserint, ut eam melius percipere possint informationem. Quod uero dicitur ab alijs, ab internis ueram incipiendam esse poenitentiam, externa ultro secutura esse; id crude, ac simpliciter admitti haud potest. Nihil enim intrabit in cor eiusmodi hominis impii, quousque obices, atque remorae hae perfractae non fuerint. Prius itaque obstacula, atque impedimenta, quae Virtutem Verbi Diuini cohibent, remouenda erunt, ut semen illud bonum in terram bonam cadere possit, atque profundius in eam penetrare, et radices agere.

§. XXII. Dixerit quis: *Hypocritas* tamen maiori Salutis discrimini subiacerent, quam quidem *peccatores aperte malitiosos*. Nunquam enim in publicanos, meretrices, aliosque sceleratos homines, Christum tam acriter inuectum esse, quam quidem in hypocritas, scribas, atque Phariseos. Quod uel ex *Matthaeo*, (a) ubi his posterioribus octies, in una serie *Vae* dixit, addisci possit. Immo Eum expresse innuisse (b): *publicanos & meretrices*

172

(a) Cap. XXIII. 13. seq. (b) Cap. XXI. 31.

in Regno Dei praecessuros esse Sacerdotes, Phariseos, ac reliquos Iudaeos, hypocritas. Adeoque, quod tegitur, maius creditur esse malum. Respondetur. Nolo hic repetere, quae supra de hac materia, praecoccupavi, sed concedam, maxime periculosum esse hypocritarum statum; sed habeant id sibi. Cur nolant ullo se modo ad ueram poenitentiam perducī? Cur pedem figunt in hac paedagogia, atque externa Disciplina, quae tamen illis uiam solum ad ueram atque seriam conuersionem sternere debebat; aut eos praeseruare, ne adeo facile in uitia ruerent. Eiusmodi ingenia, etiam in statu securitatis peritura, et procul dubio plures secum una peritura erant. Quo pacto non Magistratui, et Ministris Ecclesiae culpam suae damnationis, quasi qui illorum malitiae nimium indulserint, sed, sibi metipsis imputare habebunt. Ad dicta scripturae allata, repono primo: Christum non solum hypocritis, Phariseis, sed etiam in genere omnibus impenitentibus, atque securis Iudaeis Vae dixisse, quod idem *Martbaeus* (a) testatur. Quod uero publicanos, atque meretrices, non obstante manifesta illorum improbitate, nunquam increpuit, ut Phariseos, atque Scribas hypocritas, haec fuisse uidetur ratio, quia, si quid cum illis negotium habuit, cum iisdem, tanquam poenitentibus, et Gratiam ac solatium apud Eum quaerentibus, habuit: Phariseos uero, quibus cum saepius Ei res erat, ideo acriter obiurgauit, quia in sua iugiter, etiam conuicti suae hypocriseos, impenitentia, securi perseuerabant. Sed regerat quis: hoc ipsum est, quod nunc defensum imus: Facilius nimirum esse, ut securi, atque manifesto improbi, quam hypocritae, conuertantur. Respondeo. In confesso est: publicanos, meretrices, ac alios, quos Euangelistae sapius *ἀμαρτωλός*,
M 2 pec-

(a) Cap. XI. u. 20. seq.

peccatores, καὶ ἐξωχθῆν, dixerunt, homines aperte impios, a communione Ecclesiae Iudaicae exclusos, atque excommunicatos fuisse, adeoque non omnino securos, sed externe quoque nimium constrictos, atque impietatis suae conuictos. Videbant itaque se, neque a Iudaeis pro membris Ecclesiae agnosci, neque, quod Iohannes, ac Ipse Christus saepius testabatur, nisi poenitentes, in Regnum Christi susceptum iri. Vnde sane facilius ac reliqui Iudaei, qui uel membra Ecclesiae Iudaicae uera se credebant, adeoque securi in sua incredulitate uiuebant; ad poenitentiam flecti potuerunt. Hoc uero iam ad illos securos, atque aperte improbos, de quibus mihi sermo, uix applicari poterit. Sed haec de *prima classe* sufficiant.

§. XXIII. Sequitur, ut illis occurram, quibus persuasum est, meam sententiam *Reipublicae quoque utilitati* haud consulere. Impingere enim in insignem illam Prudentiae Regulam: *Tempori aliquid dandum esse*. Mores quippe hominum corruptos, hactenus a Magistratibus Christianis prudenter toleratos fuisse, quia uiderint, Saeculum hodiernum, Disciplinae seueriori desuetum, licentiae uero assuetum esse. Si quis itaque Magistratus, hodie uitia, quae iam inualuerunt, ac in mores quasi abierunt, seuerius proscribere, poenisque frequentioribus, reprimere, ac ueterem Disciplinam reuocare uellet: Illum breui tempore Rempublicam pessundaturum esse, quum plurimi uel alias in regiones abituri, uel Rempublicam internis moliminibus quassaturi sint. Respondeo. Catonianam seueritatem nemo, sanae mentis, Magistratui Christiano suadebit. Multis enim *ἀνοσιτοῦν*, ex infirmitate commissis, impunitatem concedendam esse a Iudicibus humanis, probe obseruauit *D. Marbachius*; (a) Sed

(a) Loc. cit. p. 63.

(a) Sed de manifesta malitia, mihi sermonem esse, totum orationis filum declarat. Et horum intuitu respondeo cum Cicerone. (a) *Medici leuiter aegrotantes, leuiter curant, grauioribus morbis, periculosos curationes, et ancipites adhibere coguntur.* Neque tamen Reipublicae ruina, inde statim metuenda erit, siue Theologice, siue Politice, rem consideremus. Primo enim DEVS eiusmodi Rempublicam, quae aperte improbos, uel e suo medio tollere, uel eos saltem corrigere operam nauat, licet penes omnes non omnino finem consequatur; suo praesidio defendet, ac omnes aduersariorum conatus irritos reddet, et tanto uberiore bonorum prouentu exhilarabit. Nec Politice, tantum inde periculum Reipublicae suboriturum puto. Ciuilem enim quod attinet Disciplinam, multi sane, qui nunc pro genio Seculi, uaria eiusmodi uitia, quae Disciplina seuerior corripit, aliis placendi studio, imitantur saltem, facile ab eis, si grauius prohibeantur, abstinebunt. Alii, qui quidem eis magis dediti sunt, si uel unicam natiui pudoris scintillulam reliquam habent, uerebuntur se apertos publicae honestatis, atque Iustitiae hostes ferre, et ob eiusmodi interdicta, uel sedem mutare, uel turbas concitare. Fex autem malorum, si alio migret, ingens Reipublicae commodum ex eo nascetur, quum hoc pacto, ut illa se iis exoneret, opus non habeat. Si uero Rempublicam turbare ausi fuerint, facili negotio coërceri, et eiici poterunt. Quoad Ecclesiasticam Disciplinam, ubi primum fraterna correptio recte adhibita fuerit, ad extrema non facile peruenietur, ut ex iis aliquid turbae sit metuendum. Neque etiam poenae ciuiles, cum Ecclesiasticis ita sunt coniungendae, ut offi-



ciis etiam ciuilibus statim excludantur, qui a communio-
ne Ecclesiae sunt remoti. Dabo: *sic uigilet tolerantia, ut
non dormiat Disciplina*, quod *Augustini* (a) consilium est.
Quapropter non omnem omnino negligendam esse cen-
seo Prudentiam, quemadmodum etiam Medici conscien-
tiosi in curationibus ancipitibus, eam non omittunt; dum-
modo carnalis ac Pseudo-Politica excludatur.

§. XXIV. Deinde meae sententiae id quoque for-
san obuerti posset, quod rigidior Disciplina *magnis suspi-
cionibus*, atque *simulatibus*, *inter subditos enaturis*, cau-
sam praebere possit. Verendum enim, ne quisque al-
terum hypocritam reputer, et hoc pacto nulla, non di-
cam amicitia, sed quod maximum est, ne pacta quidem
ulla, uel commercia in Republica, ob communem diffi-
dentiam locum inueniant. Nam, sicut alioquin unus pa-
ciscensium, atque negotiantium, ex alterius ante acta
uita, colligere solet, ac prope conicere potest, utrum al-
teri fides habenda sit: ita, si omnes externae honestati ac
modestiae studerent, nemo facile subodorari poterit, an
alter uel candide agat, uel fraudes molitur. Hinc cautiore
a contractibus, et commerciis abstinebunt. Alii uicissim,
qui simpliciores fuerint, aut ex Christiana Charitate,
eiusmodi hypocritas pro bonis Christianis habuerunt,
ab illis circumuenientur. Respondetur ad primum: Ve-
ri Christiani non temere suspiciones concipient; neque
omnem, quem malum Christianum, uel hypocritam es-
se praesumunt, statim malum quoque *ciuem* censent.
Hinc, coeteris paribus, commercia atque pacta ciuilia
cum illo inire non dubitabunt. Si uero ipsi a malis praes-
sumerentur hypocritae, non ideo commouebuntur ira,
aut simulates fouebunt: neque mali, certe non omnes, du-

(a) Sermon. XXIII. de Verbis Apostoli.

dubitabunt, commercium cum illis habere, quia eos pro bonis saltem ciuibus habebunt. Hypocritae uero, ut ut alter alterum suspectum haberet, propterea tamen commercia ciuilia non tollent, quum unus potius alteri technas fruere operam daturus sit. Quo enim callidiores sunt in rebus mundanis, eo fecilius sibi hic prospicere poterunt. Simplicioribus, et credulis commendo illud *Christi*: (a) γίνεσθε Φρόνιμοι ὡς οἱ ὄφεις, καὶ ἀνέροισι ὡς αἱ περὶ τὰ ἄνθη. Non negligenda est Prudentia Christiana. Deum quoque ardentius inuocent, ut in negotiis grauioribus sese ab eiusmodi deceptoribus custodiat. Mali quoque, si fuerint simplices, eo attentiores fient, ita tamen, ut non omnia ideo commercia atque pacta subterfugiant.

§. XXV. Transeo tandem ad *tertiam obiectionum classem*, quibus sententia mea *Ipsi Magistratui Christiano* inimica esse uideri posset. Per eam nimirum, ad nimiam seueritatem, atque morosam austeritatem, qua multorum in se concitaret odia, Eum exstimulari. Ex Historia uero recentiori aequae, ac antiquiori constare, quod Magistratibus nimia seueritas plus obfuerit, quam nimia indulgentia, idque sigillatim de Galba testatur *B. Buchnerus*. (b) Respondetur: *Timoris causam, non uirae poenam, in Censoria Potestate Magistratus Christiani esse uolent, ut uerba Ciceronis* (c) quodammodo immutata usurpem. Nullum ergo periculum est, ne per Disciplinam seueriorem omnium in se odia prouocet, ubi uiderint subditi, salutem eorum, non perniciem, quaeri, et poenas, amore ac studio temperari, nec in omnes promiscue, sed atrocius ac contumacius peccantes, exerceri. Et, si utique essent,

(a) Matth. X. 16. (b) Part. II. Orat. Acad. orat. IX. p. 558. (c) In Oratione pro Client.

essent, qui ob hanc seueriorem Disciplinam odio erga illum concitarentur, adeoque Illi insidias struere sustinerent, non plus tamen ad impugnandum poterunt humana conamina, quam ad protegendum diuina tutela, ut cum Cypriano (a) respondeam. Qui hanc in Eum potestatem contulit, suo Patrocinio, atque auxilio Eum non derelinquet, ac aduersus improborum technas mirifice proteget. Nam, Est Princeps magni maxima cura Dei, ut Sidonius (b) canit.

§. XXVI. Dixeris: fieri posse, ut Principes atque reliqui Magistratus, si crimina, usque adeo seuerè punire inciperent, ad inexorabilem quandam prolaberentur saeuitiam. Iam uero, iuxta communem Doctorum consensus, fatius esse de misericordia, quam crudelitate, rationem reddere. Respondetur cum Plinio: (c) Principem decet mitis seueritas, non dissoluta Clementia. Seueritatem itaque, quam adhibendam dixi, Illis demandatam esse, ac quomodo eam exercere debeant, soleantue Principes, ac Magistratus Christiani, supra iam satis ostendi. Est uero, (ut haec addam,) seueritas quaedam adhibenda, ut propter Dei mandatum, (d) sic et piorum causa. Obrueretur enim innocentia, si relaxaretur audacia, ut Cassiodorus (e) loquitur. Hinc locum habebit illud Sarisburiensis (f): Potestas cum inferiorum uitia mansueta manu curare non sufficit, pia crudelitate saeuir in malos, dum bonorum incolumitas procuratur. Immo ipsius Reipublicae E. quaedam exercendam esse seueritatem, Cicero (g) testatur, dum ait: Ita probanda est mansuetudo, ut adhibeatur Reipublicae causa seueritas. Quod uero dicitur, hanc seueritatem facile in crudelitatem degenerare posse, frustra est. Per Dei enim Gratiam,

(a) Lib. I. Epist. 3. (b) Carmin. XIII. (c) In Panegy. (d) Deut. XVII. 7. XXII. 31. (e) Lib. IV. Epist. 35. (f) Lib. IV. 8. (g) Officior. II.

Gratiam, Iustitiam benignitate, et seueritatem lenitate ita temperabunt Magistratus Christiani, ne uel ad dextram, uel ad sinistram, et nec in excessu, nec in defectu, peccent. Et ubi humani aliquid paterentur, ut in legitima quoque censura, quidem prauus se iusto zelo immisceret affectus, id tantum Eis periculum Salutis haud creabit. Deus enim Benignissimus eiusmodi παραράματα Illis clementer condonabit, ac per S. Spiritum magis magisque Eorum Zelum sanctificabit.

§. XXVII. Ad extremum, is quoque dissentientibus eximendus est scrupulus, quod putant, si omnes ex aequo, quoad externa, iuste, atque honeste, uiuere instituerent, fore, ut Magistratus, qui ueri, qui falsi sint Christiani, dignoscere uix queant; adeoque saepius malos, pro bonis, ob externam modestiam, pro talibus habitos, his, illisue muniis in Republica praeficiant, bonos autem, quos, hypocritas esse, crederent, eis excludant; item, ut malos, pro bonis, in suam admittant amicitiam; unde uero multa Illis metuenda sint mala, quum contra nunc, ubi homines seueriori Disciplina non adeo cõercentur, malos a bonis melius distinguere, sibi, Ciuibus, ac Reipublicae consulere possint. Respondetur: Magistratus Christiani spiritu discretionis haud carebunt: sed potius ex idoneis iudiciis, quo loco, hi, uel illi, habendi sint, facile colligent. Product se uitia, product etiam Virtutes. Finge denique, per errorem, hypocritam quendam, his, illisue partibus admoueri, tantum saltem damni, addo etiam scandali, ab eo, quantum quidem ab Epicureo, et Atheo, expectandum non erit. Nullus coeterum dubito, plures adhuc superesse difficultates, quae meae obiicerentur sententiae, uerum mei instituti rationi potiores adduxisse, sufficere poterit. Sit itaque tandem

N

CA.

CAPVT. III.

Tradens usum quaestionis.

§. I. In hoc deducendo, maiorem quidem breuitatem, quam in prioribus praestabo, ac *præ* tantum, quae potissima mihi uidentur, *capita* allegabo, ex quibus Beneuolus Lector usum quaestionis uentilatae, abunde intelligere poterit. *Primo* igitur notissimum est, quot, ac quantas, Principes quidam Euangelicorum, aliique Magistratus Nostrae Ecclesiae, quibus Veritas atque Puritas doctrinae, curae, cordique est, hactenus passim promulgarint Constitutiones, quas uocant, quibus serpentibus, atque longè, lateque grassantibus in Religione erroribus, atque corruptelis sanae Doctrinae, obuiam ire uoluerunt. Meretur quoque pius hic Zelus summam laudem, atque commendationem: Id solum dolendum, quod, exoptatum effectum egregio huic, atque sanctissimo consilio, hactenus ubiuis non respondisse, turbae, quae hanc, illamue adhuc uexant Ecclesiam, satis loquantur. Saepius quidem causam huius rei inquirens, recogitabam illud *Paulinum*: (a) Δὲ γὰρ καὶ αἰρέσεις ἐν ὑμῖν εἰσὶν, ἃς οἱ δόκιμοι Πνεῦμοι γίνονται ἐν ὑμῖν. Oportet inter uos haereses esse, ut, qui probati sint, manifesti fiant inter uos. Vbi *Diuus Apostolus*, iuxta *Celeberr. D. Febrinium*, (b) loquitur de necessitate, quae ex humanorum ingeniorum statu, atque conditione, ut plurimum, enascitur. Recordabar etiam illorum, quae *Dn. D. Iob. Henricus Barthius* (c) monet, qui praeter ista, quae tradit de seductoribus, carne nostra, Diabolo, atque mundo, adeoque statu, atque conditione, ut *Celeberr. Febrinus* loquitur, humanorum

(a) I. Corinth. XI. 19. (b) In Philocalia Thesi Biblic. XXIII. (c) In Dissert. sub Praesidio Celeberr. D. Förtschii A. 1708. Ienae habit. de Excessibus in Pietatis studio §. VII.

rum ingeniorum; hanc quoque praemitit rationem, nempe permissionem diuinam, tum respectu eorum, qui Veritati resistunt, tum aliorum. Et sane securitatem nimiam, ac S. Euangelii contemptum, causam eiusmodi turbarum in Ecclesia, postremam haud esse, *B. Lutherus* (a) iam agnouit, dum ait: *Aber daß sie* (scilicet die falschen Propheten) *so allenthalben einreissen, kommt daher, daß wir, die das rechte Euangelium hören, nehmens uns nicht an, gehen so schläffrig, und unfleißig hin, etc.* Quod et alii innumeri Theologorum Nostratium confessi sunt. Verum enim uero, causam huius quotidie ingrauescentis mali, nimiam peccandi licentiam, atque impunitatem, quae hodie fere obtinent, haud ultimam esse causam, nemo facile negare poterit. Ea quippe Christianam Religionem gaudere indole, in confesso est, ut et recte credere, et pie uiuere debeamus. Qui nexus Veritatem inter, atque Pietatem, intercedens, adeo indissolubilis est, ut ab ullo Christiano, sine manifesto Salutis discrimine separari haud possit. Quam frigide uero, ac languide haec postrema Christianae Religionis pars, uita nempe proba, et Euangelio digna, a Magistratibus Christianis passim hodie urgeatur, adeoque nexus iste, alioquin haud dissoluendus, quasi diuellatur, manifestum est. Vnde iam nullo negotio colligi posse reor, quatenus sint potissimum impedimenta, quo minus eiusmodi, alioqui salutare Constitutiones, suum semper consequantur effectum. Si inquis in causam, cur Magistratus Christiani hoc in negotio remissiores haecenus fuerint, hoc semper reportabis responsum: Disciplinam seueriorem facere tantum hypocritas. Vbi uero iam constiterit: **SATIUS ESSE MAGISTRATVI CHRISTIANO, SVOS SVBDITOS CHRISTIANOS REDDERE HYPOCRITAS,**

N 2 QVAM

(d) Tom. IV. Wittenberg. p. 44. iuxta allegationem Auctoris citati.



QVAM SECVROS, ACEPICVREOS; hanc quoque difficultatem breui expiraturam esse credo.

§. II. *Alterum* quod concernit usum, ex hac ventilata quaestione, mea quidem opinione, sperandum, norunt omnes, qui recentiores controuersias, uel a limine salutarunt, quot, quantisque iniuriis hactenus, calumniis atque opprobriis, Duces, et Antesignani Fanaticorum, Ministros Ecclesiae Nostrae exagitarint, quantoque clamore Ministerium Eorum iuxta, ac externum istud, quod uocant, ceremoniarum iugum, concionum, confessionum, usus S. Coenae, uno uerbo, totius cultus publici, tanquam rerum inutilium, atque otiosarum, excutiendum esse, clamant, eo quod nemo, ut tradunt, per id conuersus nominari possit. Equidem, DEI GRATIA, non desunt, etiam numero nonnullo, quos eiusmodi impiis calumniis, et criminationibus opponere liceat. Interim diffiteri non ausim, paucos admodum auditorum Verbi Diuini, Ministerio, atque officio Ministrorum Christi, sua quidem ipsorum culpa, ita uti, ut inde fructum conuersionis percipere uideantur, maximam uero partem in impoenitentia sua perseuerare. Iam quaeritur, quibus haec contumacia debeat imputari? Numne Ministerio, Verbi efficacia destituto, ut conuiciantur Fanatici? Nequaquam. Sed hoc inde euenire uidetur, quod plurimi auditorum, principis Fanaticorum, ac Libertinorum fascinati, libertatem ab omni bono ordine, atque accuratori Disciplina sectantur. His igitur Fanaticorum Primiceriis meam proponi posse arbitror quaestionem. Qui, si posterius asserent: permittendos scilicet esse homines suo ipsorum arbitrio, tum ne leuissimam quidem causam infectandi Ministros Ecclesiae ac totum cultum publicum, tan-

tanquam res inutiles, quae nihil facerent ad conuersionem, habebunt: si prius, agnoscant oportet *ταύτην* quandam, ac *εὐχρησώμενην*, ordinem quendam, ac Disciplinam Ecclesiae necessariam esse, adeoque multi homines his falsis inebriati principiis, suo liberabuntur errore, ac Disciplinae se submittent libentiores.

§. III. *Tertius* denique usus, e quaestione proposita huc redit, quod ex ea tum Ipsi Magistratus Christiani, tum Eorum subditi Christiani intelligere poterunt, quam necessarium requisitum in Magistratibus Christianis sit Sapientia, atque Prudentia Christiana, quo non solum bonum inter, ac malum discernere, sed inter ipsa bona, ac mala, maius a minori, tutius a minus tuto, etc. diiudicare queant. Ut adeo utrique DEVM, fontem omnis Sapientiae, ac Prudentiae, precibus indefessis defatigare habeant, ne hoc summe necessario dono, unquam destituantur. Ipsi profecto Magistratus Christiani, nisi cum Salomone ad Deum, hoc in negotio quoque, confugiant, ab eoque necessariam sibi Sapientiam, atque Prudentiam exorent, bonum inter, ac malum, maius itidem atque minus, discernere, ac populum DEI recte iudicare, haud poterunt; sicut uicissim, ubi haec dona ab Illo humiliter expetent, ea large quoque consequentur. (a) Subditi quoque Christiani, Salutis Ecclesiae, ac Reipublicae cupidi, eam sperare haud poterunt, nisi supplicibus precibus DEVM uenerentur, ut cordibus Principum, atque Magistratum Christianorum, ueram inscribere uelit Sapientiam, atque Prudentiam, ut et hac in re cognoscere queant, quid Ecclesiae, quid Reipublicae conducatur. Hac enim ubi instructi fuerint, optimum eligent, ac sibi met ipsis, Reipublicae, atque Ecclesiae satis consulent. Si igitur,

verus

(a) I. Regum III. 7. sq.

verus *DEVS* Scolatur, *Eique* sacris ueracibus, et bonis moribus
 feruiatur, urile est, ut *Boni*, (addo *Sapientes*, atque *Pruden-*
tes) longe, lateque diu regnent, nec tamen hoc tam *ipsis*, quam
 illis urile est, quibus regnant; ut *Diu. Augustinus* (b) egre-
 gie monet. Quapropter concludo uerbis *D. Pauli*: (c)
 παρακαλώ οὖν πρώτον πάντων ποιῆσαι δεήσεις; προσευχάς, ἐν ευ-
 χαίς εὐχαριστίας ὑπὲρ βασιλέων, καὶ πάντων τῶν ἐν ὑπεροχῇ ὄντων.
 ἵνα ἡγεμον καὶ ἡσύχιον βίον διαγάμεν ἐν πάσῃ εὐσεβείᾳ καὶ
 σεμνότητι; τὸ γὰρ καλὸν καὶ ἀπόδεικτον ἐνώπιον
 τοῦ σωτῆρος ἡμῶν θεοῦ.

(b) In. de Ciuitat. DEI Lib. IV. cap. 3. (c) I Timoth. II. 1. sq.

SOLI DEO GLORIA.



III. 47.



94 A 7357

ULB Halle 3
001 343 653




5b

Hi 147







15
QVOD DEVS FORTVNET!

VTRVM

MAGISTRATVI CHRIS-
TIANO SATIVS SIT, SVOS
SVBDITOS CHRISTIANOS
REDDERE HYPOCRITAS, AN
SECVROS, ET EPICVREOS?

MODERANTE

DN. GOTTLIEB WERNSDORFIO
S. THEOLOGIAE DOCTORE, ET PROFESSORE

PVPL. AEDIS OO. SS. T. T. PRAEPOSITO, ET SENATVS
ECCLESIASTICI ASSESSORE GRAVISSIMO,

DOMINO, PATRONO, AC STVDIORVM SVORVM
PROMOTORE, SVMMOPERE DEVENERANDO,

IN ALMA WITTENBERGENSI,

AD D. IX. NOVEMBRIS, MDCCXV.

PVBlice DISPICIET

RESPONSVRVS - AVCTOR

ABRAHAM SCHNEIDER,

AVGVSTANVS.

WITTEMBERGAE

EX OFFICINA EPHRAIMI Gottlob EICHSFELDII.

1733

(13)